Kobert.

Prof. R. Kobert
Geh. Med.-Rat
Rostock.

DE
LIBRIS PHYSICIS
S. HILDEGARDIS
COMMENTATIO
HISTORICO-MEDICA.

AUCTORE

F. A. REUSS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE IN UNIVERSIT.
REG. WIRCEBURG. PHILOS. DOC.

WIRCEBURGI.
IN COMMISS. APUD STAHEL.

1835.

ILLUSTRISSIMO CONSULTISSIMO

ET PERQUAM GRATIOSO

DOMINO

FRIDERICO AUGUSTO
LIBERO BARONI DE ZU-RHEIN

JUR. UTR. DRI. AUGUSTISSIMI BOIOARIAE REGIS
CLAVIGERO COLLEGII SUMMIS ECCLESIARUM
SCHOLARUMQUE REBUS PRAEPOSITI CONSILIARIO

VIRO DE JURIS UNIVERSI SCIENTIA
ET PATRIAE HISTORIA OPTIME
MERITO

LIBELLUM HUNCCE SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

L. B. S.

ANNI superioris initio quum WALAFRIDI STRABI poëtae suavissimi Hortulum, subiuncta de Florae Germanicae antiquitatibus dissertatione in lucem ederem, auctorum veterum, qui rei herbariae historiam possent illustrare, opera perscrutatus, incidi in Physicam S. HILDEGARDIS, opus grave et mirabile, quanquam paucis visum et a nemine quem sciam, accuratius examinatum; cuius fragmentum, nomina scilicet herbarum interpretans, in Analectis meis pag. 76—80 addidi. Postea a V. cl. DIERBACHIO, cuius summa merita de rei herbariae historia grato animo aetas nostra veneratur, amice admonitus, ut opus hoc vetustum et indigna penitus oblivione obscurum luci redderem; manum admovi Physicae et antiqua rerum vocabula explicare aggressus sum. Difficultates, quibuscum hac in re mihi conflictandum esset, quamquam praesumseram, nunquam tamen tam innumeras fore putavi, quam re et facto postea sum expertus. Itaque, antequam integrum totius Physicae, haud parvi voluminis, textum ederem, quo deinde, quae de animalium plantarumque nominibus interdum coniectura constitui, auctoritate et argumentis firmata uberius exponentur, prius

conspectum et prodromum huiusce operis, quo Lector, quale quantumque sit eius argumentum, facilius possit cognoscere, exarandum censui; sperans, rei tractatae gravitatem apud VV. DD. mihi excusationi fore.

Hisce itaque paginis, dum studia mea de cognoscenda veteris Germaniae Flora et aevi medii medicina prosequor: simul Sanctae illius celeberrimae ex INCLYTO ORDINE, qui REGIS AUGUSTISSIMI providentia et auspiciis laeto omine in patria nostra revirescere incipit, memoriam et merita celebrabo.

Scribebam Wirceburgi Calendis Novembris MDCCCXXXV.

REUSS.

S. HILDEGARDIS VITA ET SCRIPTA.

S. Hildegardis nata est in arce Beckelheim, sita in sinistra Nahae fluminis ripa, ineunte anno 1099, [1] parentibus nobilibus et equestri dignitate ornatis, patre Hildeberto, vasallo Meginharti comitis de Spanheim, homine iusto et Deo devoto, matre Mathilde [2]. Annum agens octavum, Juttae abbatissae montis S. Disibodi, Meginharti comitis sorori, curae tradita, S. Scripturae exempla discere et psalmos recitare caepit. Quibus aeque ac legendis Sanctorum eius regionis martyrum, Berthae et Ruperti, ita adficiebatur puella praeclaris ingenii dotibus praedita, ut placidam vitae monasticae tranquillitatem unice adpeteret.

---

1) Acta SS. Bolland. Septembr. tom. V. pag. 629. Mabillon annal. ordin. S. Benedicti tom. VI. pag. 353. Surius vitae SS. XVII Septbr. Oudin supplem. de scriptor. ecclesiast. pag. 452. du Pin nouvelle biblioth. des auteurs ecclesiastiques IX. 185. A. Heckel, die edelsten Frauen der deutschen Vorzeit II, 51. C. F. Harlefs, die Verdienste der Frauen um Naturwissenschaft und Heilkunde. pag. 138. Saxius onomastic. II. 241. Pol. Leyser. histor. poët. A. M. pag. 437. —

2) Trithemius annal. Hirsaugiens. I. 416. G. C. Braun, die Rheinfahrt, ein Natur- und Sittengemählde II. Gesang vss. 194. seq. N. Vogt, Rheinische Geschichten und Sagen. I. 364. III. 112. F. Bodmann Rheingauische Alterthümer I. 420. Vita Theodorici I. 1. „Ut poterat primam tentare loquelam, tam verbis quam nutibus significabat his qui circa se erant, secretarum visionum species, quas praeter communem caeteris adspectum, speculatione prorsus insolita intuebatur. Cum iam fere esset octo annorum, recluditur in monte S. Dysibodi cum pia domina Jutta, quae illam carminibus Davidicis instruens in psalterio decachordo iubilare praemonstrabat. Caeterum praeter simplicem psalmorum notitiam nullam literariae vel musicae artis accepit doctrinam.“ —

Itaque voto solemni Christo dicata, una cum Hiltrudi filia Meginharti, aliisque puellis sibi aequalibus, regulam S. Benedicti amplexa est. Mox illustre inter coenobii sui virgines candidae pietatis doctrinaeque subtilis exemplum, Jutta 1136 mortua [1]), unanimi monialium voce abbatissa electa est. A prima inde infantia debili et infirma valetudine usa crebrisque vexata morbis, quum terrenas quascunque voluptates contemtui et odio haberet, singulari et eximio Dei favore illustrata caelesti lumine [2]), insolita rerum scientia dogmata Ecclesiae exponere et lingua latina, quam a magistra sua nunquam edocta fuerat, callide loqui novit. [3]) Quin et praesaga mente futuri temporis fata et mores stupentibus saeculi sui principibus interpretata [4]), morbos quoscunque et vitia corporis salubri manu sanavit [5]). Anno 1148 divinae vocis oraculo admonita, relicto S. Disibodi caenobio, cum octodecim virginibus transiit in montem prope Bingam, ubi in sepulchro SS. Berthae et Ruperti monasterium novum ampliusque ei fundaverant comites de Spanheim, Hildenheim et Henricus archiepiscopus Mogun-

1) Dodechini append. ad Mariani Scoti Chronic. a. 1136. Alberici Chronic. ad a. 1141. Centuriat. Magdeb. cent. XII. 10.

2) Vita Theodor. I. 1. „Cum quadraginta duorum annorum, septem mensium essem, maximae coruscationis igneum lumen aperto caelo veniens totum cerebrum meum transfudit, et totum cor, totumque pectus meum, velut flamma, non tamen ardens sed calens ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit. Et repente intellectum expositionis librorum Evangelii et aliorum sapiebam.“ —

3) Vincent. Belvacens. specul. histor. L. XXVII. cap. 83. Phil. Bergomat. supplem. Chronic. XII. ad. a. 1158. Epist. Hildegard. ad Bernard. Claraevall. pag. 71 edit. Colon.“

4) Inde Sibylla Rhenensis vocatur ab Henrico de Hassia in Pezii thesaur. anecdot. noviss. tom. II. col. 519.

5) Vita Theodor. III. 1. „Igitur curationum tam potens gratia in virgine enituit beata, ut nullus fere aegrotus ad eam accesserit, quin continuo sanitatem receperit.“

tinus [1]. Quo tempore S. Bernardus in itinere hospitio amico exceptus ab Hildegarde [2], eius revelationes mellifluo sermone suo celebravit in synodo Trevirensi coram Papa Eugenio III, qui publice eas recitari iussit et honorifice scripsit auctori, [3] quae epistola e visione composita libertate sibi consueta illico respondit [4]. Quo facto magnam famam adepta Hildegardis a celeberrimis aevi sui viris literas accepit, quibus vel consulebatur de rebus ad religionem spectantibus, vel rogabatur de oratione sua ad Dominum [5]. Scripserunt ei Pontifices Romani, Anastasius IV. (1153) et Adrianus IV. (1154); imperatores Conradus III. (1152) et Fridericus Barbarossa (1156), aliique complures episcopi et comites. Anno 1150 spiritu Domini excita, ut gentes veritatem caelestem doceret, iter suscepit in varias Germaniae et Galliae regiones, 1165 coenobium Eibingense condidit [6], 1173 Parisios adiit. Anno 1174 in coenobium suum reversa, variis revelationum libris absolutis, tandem senio confecta, vitaeque supernae desiderio ardens, anno aetatis octogesimo secundo, die XVII. Sep-

---

1) Nic. Serarius Moguntiac. rer. hist. cap. XXXVII. G. Joannis rer. Mogunt. hist. pag. 195. Gudenus Cod. diplom. I. pag. 229, 247.

2) Neander, Leben des H. Bernard S. 210, 300. —

3) Baronius annal. ecclesiast. tom. XII. ad a. 1148.

4) Ita in epistola: „O mitis pater, ego paupercula forma scripsi tibi haec in vera visione in mystico spiramine, sicut Deus voluit me dicere.“ —

5) Mabillon l. c. pag. 431. Vita Theodor. II. 4 „non modo vicinia tota, verum etiam omnis tripartita Gallia atque Germania confluebant ad eam. Praevidebat enim in spiritu vitas hominum, gloriam atque paenas animarum, erat in ea comitate condita gravitas et ex eius lingua melle dulcior orationis suavitas profluebat.“

6) V. Caspar Lerch von Dirmstein, vom Ursprunge des uralten Klosters Rupertsberg. p. 4. Bodmann l. c. I. p. 237,

tembris 1179, quem vitae finem ipsa dudum praedixerat, felici transitu clarissima miraculis morte obiit [1]. Cuius reliquiae e sepultura in choro aedium S. Ruperti bello suecico combustarum, in ecclesiam Eibingensem translatae, anno 1632 una cum coenobio in cineres verso deletae sunt [2]. Canonizationis examina trina instituta, primum 1237 a Gregorio IX., dein 1243 ab Innocentio IV., et iterum 1317 ab Joanne XXII., inperfecta fuerunt, quod miracula cessarant et testes deerant [3]. Veruntamen martyrologia a saeculi inde XV. initio S. Hildegardem commemorare caeperunt ad diem XVII. Septembris.

---

1) Vita Theodor. III. 32. „Cum beata mater Domino multis laborum certaminibus devote militasset, vitae praesentis taedio affecta dissolvi et esse cum Christo quotidie cupiebat. Cuius desiderium Deus exaudiens, finem prophetiae spiritu ei revelavit, quem et Sororibus praedixit. Itaque infirmitate laborans LXXXII aetatis suae anno XV. Cal. Octobris, ipso die S. Lamberti ad sponsum caelestem migravit. Deus vero, cuius meriti apud se esset, in transitu eius evidenter declaravit. Nam supra habitaculum, in quo S. Virgo primo crepusculo noctis dominicae diei felicem animam Deo reddidit, duo lucidissimi et diversi coloris arcus in firmamento apparuerunt, qui ad magnitudinem magnae plateae sese dilataverunt, in quatuor terrae partes se extendentes. Homines qui S. corpus eius bona spe tangere praesumserunt, a gravi infirmitate convaluerunt. Odor quoque mirae suavitatis de sepulchro eius redolebat." —

2) Papebrochius in itin. Roman. pag. 23 narrat, se vidisse reliquias S. Hildegardis Eibingae anno 1660.

3) Acta canonizationis S. virginis habentur in Act. SS. l. c. pag. 697 e codice eccles. Bodecens. S. Augustini diaeces. Paderborn. excerpta. Simili in causa est Hildegardis Caroli M. uxor, quae Sancta quoque vocatur, non quod canonizata sit, sed quod ab infantia summo semper studio aegrotos inviserit et pauperibus larga eleemosynarum distributione opem tulerit, cuius insigne pietatis monumentum est monasterium Campidonense. Cf. Bruschius monast. german. chronol. Ed. Sulzb. pag. 83. Eckhart. comment. rer. Franciae orient. I. 688. —

Ducit Hildegardis chorum SS. virginum Elisabethae Schaenaugiensis, Gertrudis [1]), Brigittae [2]), Theresiae [3]), aliarumque sequentibus saeculis eximio vaticiniorum dote insignium. Quarum cum visionum ratione, tum aetate, Hildegardi proxima est S. Elisabetha, abbatissa Schaenaugiensis, nata 1129 mortua 1165, de cuius scriptis docte disputavit C. Meiners im neuen Göttinger histor. Magazin 1794. III. Bd. IV. St. Verum ab hac quoque Hildegardis eo differt, quod revelationes suas, ut ipsa de se tradit in L. I. Scivias prooemio [4]) „non in somniis, nec dormiens, nec corporeis oculis aut auribus exterioris hominis, nec in abditis locis; sed vigilans, circumspiciens in pura mente oculis et auribus interioris hominis, in apertis locis, secundum Dei voluntatem percepit, quod quomodo sit, perquirere carnali homini difficile est" — [5]). Qua de re iudicium ferre cum non sit mei operis; id hoc loco mittam, ingenue profitens, me omnino assentiri sententiae v. cl. plurimum reverendi episcopi Sailer in „Briefen aus allen Jahrhunderten der christlichen Zeitrechnung IV. Sammlung pag. 3 seq. —

---

1) Insinuationes divinae pietatis S. Gertrudis abbatissae, translatae per Joh. Just. Lansbergium. Colon. 1674. 8.

2) Revelationes Seraphicae matris S. Brigittae. Monach. 1680. f.

3) Der H. Theresia von Jesu Werke übers. v. Gallus Schwab. Sulzb. 1831. 8.

4) Vita Theodor. I. 8. „Ista autem nec exterioribus oculis video; nec exterioribus auribus audio, nec cogitationibus cordis mei, nec ulla collatione quinque sensuum meorum percipio: sed tantum in anima mea, apertis exterioribus oculis, ita quod nunquam in eis defectum extasis passa sum, sed vigilanter die ac nocte ea video." —

5) Gothofr. Arnoldi historia theologiae mysticae pag. 280. Schmid Mystik des Mittelalters pag. 63. Tersteegen Leben heiliger Seelen. III. 475. Schröckh, Kirchengeschichte XXVIII. Thl. S. 15. Räss und Weis, Leben der Väter und Martyrer Bd. XIII. S. 111. Alstedius thesaur. chronolog. pag. 389. Flacius, test. veritat. catalog. p. m. 586. J. Feustkingius gynaec. haeretico-fanatic. pag. 581. Delrio disquisit. magic. IV. 1. 3. —

EPISTOLAE ALIQUOT EX EDITIONE COLONIENSI EXCERPTAE.

I.

EUGENIUS PONTIFEX HILDEGARDI.

Edit. Colon. pag. 1.

Eugenius servus servorum Dei, dilectae in Domino filiae Hildegardi, praepositae in monte beati Roberti, salutem et apostolicam benedietionem. Miramur o filia, et supra id quod credi potest, miramur, quia Deus iam nostris temporibus nova miracula ostendit, cum te spiritu suo ita perfudit, quod diceris multa secreta videre, intelligere et proferre. Hoc a veridicis personis ita esse percepimus, qui se fatentur te et vidisse et audisse. Sed quid nos ad haec dicere valemus, qui clavem scientiae habentes, ita quod claudere et aperire possimus, et hoc prudenter facere per stultitiam negligimus. Congratulamur igitur gratiae Dei, congratulamur et dilectioni tuae, hoc admonentes, ut scias, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. (Jac. 4. 1. Petr. 5.) Gratiam autem hanc quae in te est, conserva et custodi, ita ut ea quae in spiritu proferenda censeris, prudenter proferas, quatenus illud audias. Aperi os tuum et adimplebo illud (Psalm. 70). Quod autem insinuasti nobis de loco illo, quem in spiritu tibi praevidisti, hoc permissione et benedictione nostra et episcopi tui fiat, ita quod ibi regulariter cum sororibus tuis vivas secundum regulam S. Benedicti sub clausura eiusdem loci.

II.

ANASTASIUS PAPA HILDEGARDI.

Ed. Col. p. 9.

Anastasius episcopus servus servorum Dei, Hildegardi dilectae filiae in Christo salutem et apostolicam benedictionem

Exultamus in Domino et gratulamur, quod nomen Christi de die in diem glorificatur in te, ita ut et admirantes dicamus: Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis et laudabilis et faciens mirabilia (Exod. 15.) Audivimus enim et vidimus multa de te. Scimus etiam, quod piae memoriae praedecessor noster, cui ad nutriendum sponsam Christi per Divinam gratiam successimus, te multo affectu dilexit, amplexus est et audivit. Cuius et nos vestigia secuti, scribere tibi studuimus et rescripta tua videre desideramus, quaerentes illa quae Deus in te operatur, quamvis nos in bonis claudicemus, in quibus tam lassitudine corporis quam mentis nostrae suspiramus, cum nos ad caelestia per negligentiam nostram sursum non erigimus, ut iure deberemus. Occultorum autem cognitor et voluntatem et possibilitatem nostram novit. Admonemus igitur, rogamus et obnixe tibi iniungimus, ut cum sororibus tuis preces ad Dominum fundas, quatenus per virtutem ipsius ad iustitiam nos erigere valeamus, ita ut per hoc aeterna praemia adipiscamur, ad illa praesenti vita anhelare non deficientes. Pax tibi et omnibus tuis sit.

IIII.

ADRIANUS PAPA HILDEGARDI.

Ed. Col. pag. 12.

Adrianus episcopus servus servorum Dei Hildegardi dilectae in Christo filiae, praepositae S. Roberti Salutem et apostolicam benedictionem. Gaudemus o filia et exultamus in Domino, quod honestatis tuae opinio ita late longeque diffunditur, ut multis fias odor vitae in vitam (2 Corinth. 2) et a turba fidelium populorum in tui praeconium exclametur: Quae est ista quae ascendit per desertum tan-

quam Virgula fumi? (Cantic. 3). Unde cum animam tuam usque adeo extimemus divini amoris igne succendi, ut ad bene operandum exhortatione aliqua non indigeas: supervacaneum duximus exhortatoria tibi verba multiplicare, animumque tuum virtute divina sufficienter innixum aliqua verborum suppositione fulcire. Verumtamen quia et ignis aura flante fit grandior et velox equus calcaribus urgetur ad cursum, id tuae religioni duximus proponendum, ut videlicet a memoria tua non excidat, quia non incipienti sed perficienti palma debetur et gloria, dicente Domino: (Apocal. 2) Vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso Dei mei. Cogita itaque filia, quoniam ille serpens, qui primum hominem a paradiso deiecit, magnos perdere cupit, ut Job et devorato Juda, ad cribrandos apostolos expetit potestatem, et quia scis multos esse vocatos, paucos autem electos: (Luc. 22. Matth. 20.) ita intra numerum paucorum te collige, ita usque ad finem in sancta conversatione persiste, ita creditas dispositioni tuae sorores salutis operibus instrue, ut cum eis ad illud gaudium valeas praestante Domino pervenire, quod nec oculus vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit (Esai. 64. 1. Corinth. 2). De caetero autem commonitoria verba de te audire desideramus, quia spiritu miraculorum Dei imbuta diceris, unde plurimum gaudemus et divinae gratiae gloriam damus.

IV.

CUNRADUS IMPERATOR HILDEGARDI.

Ed. Col. p. 63.

Cunradus Divina favente gratia rex Romanorum, Hildegardi Deo dicatae virgini et magistrae sororum de S. Roberto in Pingis salutem et gratiam suam. Quia regali culmine impediti, ac diversis turbinibus et procellis quas-

sati te invisere pro velle nostro non possumus, literis tamen nostris de adire non omittimus. Nam ut audivimus, revera superabundat in te confessio summae laudis per sanctimoniam vitae innocentis et per magnificentiam spiritus desuper mirifici in te venientis. Unde quamvis saecularem vitam agamus, ad te properamus, ad te confugimus, ac orationum et exhortationum tuarum suffragia humiliter quaerimus, quoniam longe aliter vivimus quam debeamus. Pro certo autem scias, quod tibi et sororibus tuis, in omni causa et in omni necessitate vestra prodesse et adesse, ubi possumus, properabimus. Unde et filium meum, quem mihi superstitem desidero esse, orationibus tuis, sicut et me ipsum, attentius commendo.

V.

FRIDERICUS IMPERATOR HILDEGARDI.

Ed. Col. pag. 65.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper Augustus, dominae Hildegardi de Pinguia gratiam suam et omne bonum. Notum facimus Sanctitati Tuae, quoniam ea quae nobis praedixisti, cum Ingelheim manentes, te ad praesentiam nostram venire rogavimus, iam in manibus tenemus. Sed nos tamen omni conatu pro honore regni laborare non cessabimus. Quapropter dilectionem tuam quam intime admonemus, ut cum sororibus tibi commissis ad omnipotentem Deum preces pro nobis fundas, quatenus in terrenis negotiis laborantes, ita ad se convertat, ut gratiam ipsius obtinere valeamus. Certum autem debes habere, quod super omni negotio tuo ad nos per te directo, neque amicitiam neque odium alicuius personae attendemus, sed solius iustitiae respectu aequitatem iudicare proponimus. —

VI.

CUNRADO IMPERATORI HILDEGARDIS.

Ed. Col. p. 63.

Qui vitam dat omnibus, dicit: Beati sunt qui candelabro summi regis digne subiacent, et quos Deus in magna providentia procuravit, ita ut eos de sinu suo non abscindat. In illo o tu rex, permane, et squalorem de mente tua abiice; quoniam Deus omnem qui eum devote et pure quaerit, conservat. Sed et regnum tuum ita tene et tuis unamquamque iustitiam provide, ut a superno regno alienus non fias. Audi in quadam parte a Deo te avertis et tempora in quibus es, velut in muliebri persona, levia sunt, et etiam in contrariam iniustitiam, quae iustitiam in vinea Domini destruere tentat, se inclinant. Postea vero peiora tempora venient, in quibus veri Israelitae flagellabuntur et in quibus catholicus thronus in errore movebitur. et ideo novissima eorum, velut cadaver in morte, blasphemiae erunt. Unde et hic dolor in vinea Domini fumigat. Et post haec fortiora prioribus tempora surgent, in quibus iustitia Dei aliquantulum erigetur et in quibus iniustitia spiritalis populi ad eiiciendum notabitur. Sed tamen provocari et exacerbari ad contritionem acriter nondum audebitur. Sed deinde alia tempora instabunt in quibus divitiae Ecclesiae dispergentur, ita quod etiam spiritalis populus velut a lupis lacerabitur et a locis suis et de patria sua expelletur. Unde plurimi eorum ad solitudinem transibunt, pauperem vitam in multa contritione cordis deinceps habentes et sic Deo humiliter servientes. Prima etenim haec tempora ad iustitiam Dei sunt squalida sequentia vero taediosa. Quae autem deinde supervenient, ad iustitiam se ad modicum erigent; sed quae postea insurgent, quasi ursus cuncta divident et divitias sibi per malum congerent. Sed quae illa sequentur, signum virilis fortitudinis

ostendent, ita ut omnes pigmentarii ad primam auroram iustitiae cum timore, verecundia et sapientia currant et principes concordiam unanimiter habeant, eam quasi vir praeliator sicut vexillum contra errantia tempora maximorum errorum elevantes, quos Deus destruet et exterminabit secundum quod ipse novit et ut sibi placet. Et iterum ille qui omnia novit, tibi, o Rex dicit: Haec tu homo audiens, te ipsum a voluptate tua compesce et te corrige, quatenus ad tempora illa purificatus venias, in quibus de factis tuis amplius non erubescas.

VII.

BERNARDO HILDEGARDIS.

Ed. Col. pag. 60.

In spiritu mysteriorum tibi dico: o venerabilis pater, qui mirabiliter in magnis honoribus virtutis Dei valde metuendus es, illicitae stultitiae huius mundi vexillo S. crucis cum excelso studio in ardente amore filii Dei, capiens homines, ad bella pugnanda in Christiana militia, contra tyrannorum saevitiam, quod sum valde constricta in visione, quae apparet mihi in spiritu mysterii, quam non video exterioribus oculis carnis. Ego misera et plus quam misera in homine femineo, ab infantia mea vidi mirabilia magna, quae lingua mea non potest proferre nisi, quod me docet spiritus Dei, qualiter ea dicam. Certissime et mitissime pater, audi me in tua bonitate indignam famulam tuam, quae nunquam ab infantia mea secure vixi, et de tua pietate et sapientia intellige in anima tua, secundum quod doctus fueris inSpiritu Sancto, quoniam ea quae tibi de me dicta sunt, secundum hunc modum sunt. Scio enim in textu interiorem intelligentiam expositionis psalterii, Evangelii et aliorum

voluminum, quae monstrantur mihi in hac visione, quae pectus meum tangit et animam meam sicut flammam comburens, docens me haec profunda expositionis, sed tamen non docet me literas in Teutonica lingua, quas nescio. Sed tantum scio in simplicitate legere, non in abscisione textus, quia homo sum indocta de ulla magistratione cum exteriori materia: sed intus in anima mea sum docta, unde loquor tibi, de te non dubitans, sed de sapientia et pietate tua consolabor pro eo, quia multa schismata sunt in hominibus sicut audio homines dicere. Nam cuidam monacho, quem scrutata sum in conversatione probatioris vitae, haec primum dixi et illi omnia secreta mea monstravi, et consolatus est me, ita quod haec magna et timenda sunt. Volo pater, ut propter amorem Dei in orationibus tuis me recorderis. Ego ante duos annos te in hac visione vidi sicut hominem in sole adspicere et non timere, sed valde audacem, et ploravi, quod ego tantum erubesco et inaudax sum. Bone pater et mitissime, pono me in animam tuam, ora pro me, quia magnos labores in hac visione habeo, quatenus, quod video et audio, dicam. Et interdum in magnis infirmitatibus de hac visione in lectum prosternor, quia taceo, ita quod non possum me erigere. Ergo cum moerore coram te plango, quia mobilis sum, cum motu in torculari arbore in natura mea, orta de radice surgente in Adam, qui factus est exul in peregrinum mundum de suggestione diaboli. Nunc autem surgens curro ad te. Ego dico tibi: Tu es mobilis sed semper erigens arborem et victor in anima tua es, non tantum te ipsum solum, sed etiam alios homines in salvationem erigens. Tu autem aquila es adspiciens in solem. Oro te per serenitatem patris et per eius verbum admirabile et per suavem humorem compunctionis, scilicet spiritum veritatis et per sanctum sonitum, per quem sonat omnis creatura et per ipsum ver-

bum, de quo ortus est mundus, et per altitudinem patris, qui verbum in suavi viriditate in uterum virginis misit, unde illud carnem, sicut circumaedificatur mel favo, suxit, ut non otiose in verbis meis torpeas. Sed ea in cor tuum pone, ita ut non cesses, dum transeas per foramen animae tuae, ad Deum pro me adspiciens, quia ipse te vult. Vale, vale in anima tua et esto robustus in certamine in Deo. Amen.

QUOAD OPERA, PARTIM AB IPSA HILDEGARDE EXARATA, PARTIM SUB NOMINE IPSIUS AB ALIIS SCRIPTA, CIRCUMFERUNTUR.

I. Libri tres visionum, Scivias [1]) inscripti, princeps Hildegardis opus, decem annis absolutum. Incipiunt: „Ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno, cum coelesti visioni magno timore et tremula intentione inhaererem, vidi maximum splendorem cet" — Editi sunt:

1513 fol. Parisiis, ab Jacobo Fabro Stapulensi: „Liber trium virorum et trium spiritualium virginum, Hermae L. I, Uguetini L. I, F. Roberti LL. II, Hildegardis Scivias LL. III, Elizabeth virginis LL. VI., Mechtildis virg. LL. V. Studium piorum." —

1628. fol. Coloniae Agripp.: „Revelationes SS. virginum Hildegardis et Elizabethae Schoenaugiensis ordin. S. Benedicti." —

II. Epistolarum liber, editus ex archetypo monasterii S. Roberti ab Justo Blanckwalt presbytero Moguntino, 1566. 4. Coloniae apud haered. J. Quentel et Gervinum:

1) quasi Sci (cognosce) vias Domini, vel, ut Bodmannus vult, Scientiae vas.

„S. Hildegardis abbatissae in monte S. Roberti apud Naam fluvium prope Bingam, Sanctissimae virginis et prophetissae, epistolarum liber" — et insertus bibliothecae veter. Patr. Lugdunensi tom. XXIII. pag. 535, et Martenii amplissimae collectioni tom. II. Continentur eo epistolae Pontificum Max.; Eugenii, Anastasii, Adriani, Alexandri, archiepiscoporum; Moguntinensium Henrici, Arnoldi et Christiani, Bremensis Hertwigi, Coloniensium Arnoldi et Philippi, Trevirensis Hillini, et Juvaviensis; episcoporum: Eberhardi Bambergensis, Gunteri Spirensis, Conradi Wormatiensis, Constantiensis, Adelberti Virdunensis, Rudolphi Leodiensis, Godefridi Traiectensis, Pragensis, Hierosolymitani, Arnoldi Trevirensis et Henrici de Bevez, imperatorum Conradi III. et Friderici Barbarossae, Philippi comitis Flandriae, S. Bernardi Claraevallensis, abbatum; Adami de Ebra, de Eberbach, monast. S. Anastasii, de Reisheym, de Hirsaugia, de Nevenburg, caenob. S. Mariae, Helengeri de monte S. Dysibodi, Campidonensis, Coloniensis ad S. Martinum; abbatissarum; S. Glodesindis in Meti, S. Elisabethae Schoenaugiensis, praefectae in Elostat; [1]) Provisoris S. Emmerami Ratisbonae, praepositorum Francofurtensis, Trevirensis ad S. Petrum, Philippi decani Coloniensis, Meffridi Prioris in Eberbach, Werneri de Kyrcheim, Fratrum in Hagenhe, coenobitarum Hunniensium, — et Hildegardis ad easdem responsiones, nec non epistolae ipsius ad praelatos Moguntinenses propter divina per illos interdicta, ad clerum Coloniensem, Trevirensem, ad griseos monachos, ad congregationem sororum suarum, ad Wibertum monachum Gemblacensem, de XXXVIII. quaestion. solution.; praeterea regulae S. Benedicti et symboli S. Athanasii explicationes,

---

1) Epistolam abbatissae Kitzingensis refert vita Hildeg. in Act. S. S. l. c.

tractatus de retributione ultima, et de vita S. Roberti in fine mancus [1]. Accedit pag. 273 vita Hildegardis a Theodorico monacho conscripta [2]. —

Prophetiae singulae selectae prodierunt:

Sine l. et a. (1500?) 4 min. foll. 8. „Namhaffter offennbarungen zwo. aine sagt der allt Joachim. die annder die heylig Fraw Hildegradis (sic), so jnen vō gott geoffenbart ist worden, der propheceyen gar nahend sind.“ Asservatur in biblioth. Regia Monacensi P. O. germ. 69 m.

1527. 4. Nürnberg. 7 Bll. „Sant Hildegardten weissagung uber die Papisten und genanten geistlichen, wilcher erfullung zu unsern zeiten hat angefangen und volzogen sol werden. Ein vorrede durch Andrean Osiander Prediger zu Nurmberg.

1529. 8 min. Haganoae, auctore Hieron. Gebuilero literariae pubis Hagnoviensis moderatore. „De praesenti clericorum tribulatione futurorumque temporum eventu Divae Hildegardis prophetiarum libellus. Lucae X. Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.“ —

1620. 4. s. l. foll. 6. „Prophetia oder weissagung Hildegardis etwa im Closter S. Ruprechtsberg bei Bingen gewesener Aeptissin, vor ungefähr 450 Jahren von diesen unsern letzten Zeiten also klar und offenbarlich etc. von Georg Bellamera Ubio.“ —

---

1) cum epigraphe: „Reliqua huc spectantia scriptor prae festinatione quadam importuna ex originali archetypo excerpere non potuit.“ — Recusa est haec vita ab J. Busaeo, Moguntiae 1602 et 1612. 4., cum Hincmari aliorumque adnotationibus apud Surium ad. d. XV. Maii, et cum notis Henschenii tomo III. Maii Act. 88. p. 504.

2) Cuius teutonicam versionem memorat Dahl l. c. pag. 51.

Praeterea Hildegardis nomine codicibus haud paucis extant opera aliquot argumenti theologico-mystici, typis nondum impressa, scilicet:

Liber divinorum operum simplicis hominis, compositus circa annum 1147. Incipit: „Et factum est in sexto anno, postquam mirabiles visiones, in quibus per biennium laboraveram cet." — Curiosa multa continet de mundi totius systemate, de hominis natura, morbis, aëris vicissitudinibus, de siderum caelique in hominis organismum influxu: quorum specimen dedit Fabricius in bibliotheca med. et infim. latinit. III. 264.

Liber vitae meritorum, Carmina diversa, ignota lingua cum versione latina, Hymnodia caelestis, de sacramento altaris, Homeliae LVIII in evangeliis, vita S. Disibodi [1]).

Libri simplicis et compositae medicinae, quos inter genuina Hildegardis scripta recensent Trithemius et Acta SS., unum idemque cum Physicis opus esse, [2]) verba Theodorici haud dubie mihi demonstrare videntur. Nullo enim, ut equidem expertus sum, codice sive literis sive typis expresso, continentur.

Spuria vero et indigna sancta virgine sunt vaticinia de fatis Seraphici ordinis et Societatis Jesu, [3]) nec non opus „Pentachronon" inscriptum.

---

1) Cf. Dahl l. c. pag. 16. —

2) V. A. Tiraquelli de nobilitate I. 31 — Paschalis Galli biblioth. medic. p. 281. —

3) Elixirium Jesuiticum secunda cura et parte augmentatum, cum vaticinio Hildegardis s. l. 1645. 12. Cf. Theoph. Spizelii Sacr. biblioth. retect. p. 19. —

Scrutinium theologico-criticum visionum Hildegardis scripsit B. Mart. Chladenius, Wittebgae. 1746. 4. Aevo nostro Hildegardis memoriam recoluerunt C. Meiners, programmate de S. Hildegardis vita, scriptis et meritis. Gottingae 1793. 4. (V. Göttinger gelehrte Anzeigen. 1794. II. pag. 1849) et J. K. Dahl, docta lucubratione sua: „die heilige Hildegardis, eine historische Abhandlung. Mainz 1832. 8.“ —

Physica, cuius binae editiones extant, Argentorati impressae, altera 1533 in folio, auctore Joanne Schotto, altera 1544 fol. [1]) in experimentario G. Krautii; opus doctum, diffusum, et ad illustrandam aevi medii historiam naturalem et medicinam permagni momenti. Quod ab ipsa Hildegarde genuine exaratum esse, variis temporibus varii negare sunt ausi. Ac primum illud impugnavit Josias Simlerus in bibliotheca C. Gesneri in compendium redacta, Tiguri 1574 f. pag. 300, duas constituens Hildegardes, alteram abbatissam S. Ruperti, alteram de Pinguia, Physicae auctorem. Cuius sententiae adstipulati sunt J. G. Olearius in biblioth. script. eccles. c. praef. Buddei, Jenae 1711. 4. tom. I. pag. 341, his verbis: „Errant, qui Hildegardi abbatissae Physicorum libros quatuor, Argentinae 1533 et 1544. f. cum aliis editos, atque ab Hildegarde de Pinguia scriptos, attribuunt, sicut Jos. Simlerus recte observavit,“ — et G. Cave, script. eccles. histor. liter. Oxonii 1740. fol. tom. II. pag. 242: „Physica, seu de rerum natura libros quatuor Hildegardi nostrae male nonnulli tri-

---

1) M. Lipenii biblioth. real. med. pag. 180 — J. Mangeti bibl. script. medic. III. 506. — C. Sprengelii histor. rei herbar. I. pag. 226. —

buunt;". [1]) nec non Encyclopaedia clarissimorum Ersch et Gruber part. VIII. sect. II. p. 126, et nuper Ludovicus Choulant, vir de medicinae et botanices historia optime meritus; qui quidem novam enixus coniecturam: „Hildegardi scilicet, virgini sanctae et incorrupti moris, Physicam hancce, in qua tot loci obsceni, tot lubricae imagines et verba castis auribus offensa, minime adscribendam esse, sed alium quempiam aevi medii scriptorem medicum usurpasse Sanctae illius nomen, quo opus suum praefixo claro quodam auctore celebrius redderet:" cuius rei exempla non pauca in aevi cuiuscunque historia literaria extant, v. g. in Plinii Valeriani libris medicis [2]), Lucii Apuleii herbario [3]), et carmine Macri Floridi de viribus herbarum. [4]) Recentissimus quoque Hildegardis vitae scriptor J. K. Dahl in libello supra citato p. 21, an genuina sit Physica, in medium relinquit.

Quorum opiniones tribus hisce argumentis refutari posse mihi videntur:

1. Jam primum omnium Theodoricus monachus, aequalis S. Hildegardi, disertis verbis ait: „quaedam de natura hominis et elementorum, diversarumque creaturarum, et quomodo homini ex his succurrendum sit, aliaque multa secreta prophetico spiritu manifestavit," quibus aperte indigitat Physicam iisdem fere verbis inscriptam.

---

1) Offendit hunc praecipue vox Pinguia, qua oppidum significari putat diversum a Binga, quae a veteribus, ut recte observant Acta SS. l. c., passim Pinguium, Pingia, Bingium, Bingia vocatur. —

2) V. J. Günz de auctore operis de re medica vulgo Plinio Valeriano adscripti, libellus. Lips. 1736. 4.

3) Choulant Handbuch der Bücherkunde für die ältere Medicin pag. 120.

4) Cf. quae collegit Choulant in edit. Macri. Lips. 1832. 8. prolegg. p. 4. —

2. Accuratius conferenti epistolas et opera theologica Hildegardis cum Physicae textu, plurimi occurrunt loci paralleli sive communes, et eadem interdum verba, quae unam eandemque auctorem haud dubie demonstrant.

3. Accedit, quod in Physica tot mirabiles rerum naturalium inter se comparationes, parabolae et definitiones obscurae, scriptoribus XII. et proxime insequentium saeculorum penitus inusitatae leguntur, quae solummodo ab homine ingenii acutissimi, quo Hildegardem praeditam novimus, sic scribi potuerunt. [1])

Quoad verba obscena et impura in Physicis obvia; ferme sunt paucissima, ab auctore rem medicam tractante minime vitanda, qua ratione turpia amplius dicenda non sunt.

Prioris Physicae editionis a. a° 1533, qua ipse in adornando meo commentariolo usus sum, textus corruptissimas interdum lectiones exhibet, vel ab ipso codice non optimae notae profectas, vel ab editore perverse transscriptas; quae ob codicum MSS. penuriam, cum praeter Parisiensem in bibliotheca Regia Nro. 6952, cuius meminit Hallerus in biblioth. botan. I. p. 218, alter prorsus non extet, emendari non possunt.

---

1) Hinc Trithemius in catalogo VV. illustrium p. 138 scribit. „In libris medicis mirabilia multa et secreta naturae subtili expositione ad mysticum sensum refert, ut nisi a spiritu sancto, talia femina scire posset" — et praefatio edit. Argentor. „rerum naturas admirabili ingenio quatuor libris complexa est S. Hildegardis, ex nobili Germani sanguinis prosapia, mulier digna subscribi catalogo bene meritorum." — Cf. Spicileg. Dacherian. tom. III. L. IV. cap. 18 Chron. Senoniens.

De vocibus theotiscis Physicae vid. Hoffmann, althochdeutsche Glossen I. p. XXXI., Fundgruben für Geschichte deutscher Sprache I. p. 318, Sumerlaten pag. VI., Pezii thes. anecdot. noviss. T. I. p. I. col. 414. et Joh. Heumann, wirthschaftliche Abhandlung vom Hopfen, mit einem historischen Vorberichte von der Kräuterkenntniss der alten Teutschen. Nürnberg 1759. 4. §. 7.

IN

PHYSICAM S. HILDEGARDIS DE PINGUIA EIUSDEM PRAEFATIO.

In creatione hominis de terra, alia terra sumpta est, quae homo est [1]), et omnia elementa ei serviebant, quia vivere eum sentiebant, et obviam omnibus conversationibus eius cum illo operabantur, et ipse cum illis [2]). Et terra dabat viriditatem suam secundum genus et naturam et mores et omnem circumitionem hominis. Terra enim cum utilibus herbis ostendit circumitionem spiritalium morum hominis, eos discernendo: sed in inutilibus herbis demonstrat inutiles et diabolicos mores eius. Quaedam enim herbae sunt, quae cum quibusdam cibis coquuntur, et hae hominem velocem ad pastum faciunt, et leves sunt, quia hominem non multum gravem faciunt, et istae carni hominis assimilantur. Et succus pomiferum arborum incoctus et nocivus [3]) est; sed coctus levis, et comparatur sanguini hominis. Infructifera autem ligna, quae non generant, ligna sunt et non arbores, sed tantum folia habent, quae homini ad comedendum inutilia sunt: ita ut si quis illa comederet, ei non multum prodessent, etiamsi eum non mul-

---

1) Cf. Physic. L. II. cap. 102. — Epistol. ad abbatem Ebrac. pag. 76 edit. Colon. — Ep. ad praelat. Moguntin. pag. 134. — Scivias L. III. 2. —

2) Cf. Epist. ad Eberhard. episc. Bamberg. pag. 40. —

3) noctuus. edit.

tum laedunt, et tabi hominis comparantur. Illud vero quod in arboribus et in lignis est, unde funes fiunt, venis hominum assimilatur. Lapides etiam terrae ossibus hominis comparantur, et humiditas lapidum medullae ossium, quia lapis cum humiditate hac calorem etiam habet. Sed lapides cum quibus tecta teguntur, unguibus hominis in manibus et in pedibus assimilantur. Et quaedam herbae aëriae sunt, ita quod de aëre crescunt, et hae etiam ad digestionem hominis leves sunt et laetae naturae, ita ut hominem qui eas comederit, laetum faciant: crinibus hominis assimilantur, quia ipsi leves sunt et aëriae. Et aliae quaedam herbae ventosae sunt, ita quod de vento crescunt, et etiam siccae sunt, et graves ad digestionem hominis et tristis naturae, ita ut hominem qui eas comedit, tristem faciant: hae sudori hominis assimilantur. Succus autem inutilium herbarum quae comedi non possunt, venenosus est, quoniam ipsae ad cibum hominis mortiferae sunt: hae digestioni hominis comparantur. Et terra sudorem, humorem atque succum habet [1]. Sudor etiam inutiles herbas profert; humor eius utiles; quae comedi possunt et quae ad alios usus hominum valent. Succus autem vindemiam et germinantes arbores producit. Sed herbae quae per laborem hominis seminantur, velut domestica animalia, quae homo in domo sua cum sollicitudine enutrit, per laborem illum quo ab homine exarantur et seminantur, acerbitatem et amaritudinem amittunt, ita ut humiditas eorundem succorum qualitatem succi hominis tangat, et quod modo cibis et potibus bonae et utiles sunt. Herbae autem quae cadente semine suo absque labore hominis crescunt, et repente ac festinanter ut indomitae bestiae surgunt [2], contrariae sunt homini ad

1) Cf. Epist. ad Eberhard. episcop. Bamberg. pag. 40. —
2) Cf. Praefat. L. IV. part. III.

comedendum, quia homo lactendo, comedendo et temperato tepore nutritur, quod in herbis istis non fit, sed tamen noxios et infirmos humores in hominibus quaedam earum in medicina compescunt. Omnis autem herba aut calida aut frigida est, et sic crescit, quia calor herbarum animam, et frigus corpus significat; et in his secundum genus suum vigent, cum aut in calore aut in frigore habundant. Si enim herbae omnes calidae essent, et nullae frigidae, contrarietatem utentibus facerent: si autem omnes frigidae et nullae calidae essent, item inaequalitatem hominibus pararent, quia calidae frigori, et frigidae calori hominis resistunt. Et quaedam herbae virtutem fortissimorum aromatum et austeritatem amarissimarum in se habent, unde et plurima mala compescunt, quoniam maligni spiritus has fugiunt et in indignatione habent. Sed et quaedam herbae sunt, quae velut speciem elementorum in se habent, et in quibus homines decepti fortunam suam quaerere conantur, et has diabolus amat et se his admiscet.

PHYSICAE S. HILDEGARDIS LIBER PRIMUS, CONTINENS ELEMENTORUM, FLUMINUM ALIQUOT GERMANIAE METALLORUMQUE NATURAS ET EFFECTUS.

Caput I. De aëre.

Aër [1]) spiramen est, quod in rore humorem germinantibus infundit, ita quod omnia virescunt, et quod per flatum flores educit, et quod per calorem omnia ad maturitatem confirmat. Aër autem qui proximus dispositioni lunae et stellarum est, sidera humectat, velut terrenus aer terram, irrationabilia et sensibilia secundum naturam ipsorum vivi-

1) Per. edit.

ficat et movet [1]), nec ideo in se minoratur, sed cum eadem animalia moriuntur, idem aër ad pristinum statum suum revertitur, nec inde in se augmentatur, sed manet ut prius fuit. Aër autem terrenus qui terram humectat, arbores ac herbas virescere, crescere ac moveri facit [2]), nec cum in multis est, in se deficit, nec ipsis abscisis, aut evulsis, cum eis inciditur, aut in se deficit, sed in statu suo ut ante permanet. Cum in vere ad aestatem surgit, et cum etiam ad hyemem inclinatur, aër tunc est quasi torpescat, velut vinum quod iam in viribus suis deficit, et tunc idem aër quandam albuginem emittit, quae quasi volutando super terram cadit. Homo autem de ea albugine accipiat quantum potuerit, et si alicui homini aut albugo seu hebetudo in oculo iam crescit, praedictam albuginem aëris super eundem oculum saepe liget et curabitur. Quod si vermis carnem hominis comedit vel iam comedere incipit: ibi de eadem albugine aëris desuper ponatur et vermis ulterius non procedet, sed morietur, quia praedicta despumatio aëris vermem ex despumatione humorum hominis procedentem et de malis humoribus natum mortificat.

Cap. II. De aqua.

Aqua de vivente fonte est, et de ipso etiam salientes aquae sunt. —

---

1) Cf. Epistol. ad praelat. Moguntin. pag. 134. „Aquae vero cum calore solis qui infra circulum rotae suae quandam imaginem habet, et qui per aquosum aërem humidus est, totam terram perfundunt, et ita se invicem admiscendo omnia germina proferunt, et aquae quae speculum eiusdem solis sunt, ipsum coërcent, ne terra nimio ardore suo comburat, ipseque aquas constringit, ne illae per immoderationem pluviarum terram submergant.“ —

2) Cf. Scivias I. vis. 2. —

Cap. III. De sale.

Sal de igne siccum est, de humiditate vero aquae gustum habet. —

Cap. IV. De mari.

Mare flumina emittit, quibus terra irrigatur, velut sanguine venarum corpus hominis. Quaedam autem flumina in impetu, quaedam in lenitate, quaedam in procellis a mari exeunt. Et terra in decursu uniuscuiusque fluminis aliquod genus aeramentorum habet: nisi quae aut nimis pinguis, aut nimis arida, aut rigosa est, ita quod ex illa aeramenta fieri nequeunt. Sed ab illa quae in his temperata est, aeramenta fiunt.

Cap. V. De Seh — Lacus Bodamicus.

Seh impetu maris oritur, et fundus et arena eius velut palus sordidantur, quoniam cum procellis interdum surgit ac interdum cum eis cadit. Aqua eius nec cruda in potu, nec cocta in cibo sumpta ad digestionem aut ad alias sanitates sana est, quia de spuma maris oritur. Sed qui ex illa balneum facit et faciem lavat, cutem albam et sanam exterius parat, quoniam salsa est; sed eum interius laedit. In id vero Seh diversa animalia piscium de mari exeunt, quae de salsugine arenosi fundi eius sana et pinguia efficiuntur.

Cap. VI. De Rheno.

Rhenus impetu emittitur atque lucidus est, et arenosam terram decurrit, cuius arena levis et temperata est, unde etiam in ea aeramentum reperitur. Et quoniam a mari in impetu egreditur, aliquantum asper est, ut lixiva, et cruda sumpta noxios et lividos humores in homine consumit; sed si noxios et lividos humores in homine non reperit, cruda

eius aqua sumpta hominem sanum magis exulcerat, quia in eo non invenit, quod purget. Denique cum cibus cum eo coquitur, livores eiusdem cibi consumit, et sic ipsum cibum aliquantum sanum reddit. Sed tamen, si eadem aqua in cibis aut in potibus sumitur, aut si caro hominis balneo aut lavatione faciei perfunditur, eam inflat et tumidam et distortam reddit, et nigram parat; ac etiam carnes cum ea coctas nigras facit et inflat, quia aspera est, et carnem hominis cito pertransit. Pisces vero eiusdem fluminis noviter capti ad comedendum sani sunt; sed inveterati cito putrescunt, quia eadem asperitate contriti sunt.

Cap. VII. De Mogo [1].

Mogus ab origine maris aliquantum tepide impellitur, et quia tardus est, facile impeditur et cessat, et ideo etiam aqua eiusdem fluvii pinguis est et arena eius limosa. Aqua eius in cibo et in potu sumpta, et caro hominis balneo perfusa, seu facies lota, cutem et carnem lucidam et laevem facit, nec hominem transformat nec infirmum reddit. Carnes quoque cum ea coctas albas reddit et inflat, quoniam in cursu suo aspera non est, sed lenis. Et pisces eius si noviter capti sunt, sani sunt et diu durare possunt, quia propter lenitatem eiusdem aquae non fatigantur, nec in ea laborant, ideoque et caro eorum durat.

Cap. VIII. De Dunowa — Danubius.

Dunowa de impetu maris oritur, et ideo aqua eius lucida et aspera est, et arena eius sana et pulchra est, sed eadem aqua ad cibum et ad potum non est sana; quoniam

---

1) Moenus, Moenis, Plin. H. N. IX. 17. Mela Geogr. III. 3. Tacit. Germ. 28. — Moganus, Boëmus Auban. mor. gent. III. 15 — Eckhart II. 545.

viscera hominis asperitate sua laedit, cutem hominis propter asperitatem suam nigram facit, sed cutem infirmam non parat, quoniam lucida et aspera est. Pisces eius sani sunt et durare possunt, quia eadem aqua aspera est.

Cap. IX. De Mosella [1].

Mosella de aquis oritur quae de mari fluunt, et ideo lenis et lucida, et turbulentia eius ad fundum cadit; unde et arena eius livosa est, et ideo etiam pisces eius [2] non sunt sani, nec diu durare possunt, quia de faeditate pascuntur.

Cap. X. De Na [3].

Na oritur de sordidis aquis quae de mari effluunt, de quibus quidam lucidi rivuli interdum fluunt, et ideo Na in cursu suo instabilis est, ita quod aliquando in impetu, aliquando in torpore fluit, et quia interdum velociter currit, cito impeditur, et cito cessat, et arenam et litus non multum in profunditate edit. Cutem hominis albam et spissam sed rugosam parat, et viscera dolere non facit; quoniam impetus et torpor cursus eius nocivi non sunt, quamvis instabiles sint. Pisces eius pingues et sani sunt, nec cito putrescunt, quia eadem aqua instabilis est, ita quod modo velociter, modo torpide [4] currit, nec arenam fodit, et ideo etiam pisces in ea stabiliores sunt, quia plurima pascua in ea inveniunt.

---

1) Cf. Auson. Idyll. X Mosella.

2) Auson. Mosell. 79.

3) Naha, Nava. Tacit. Hist. IV. 70. Auson. Mosell. 1. „celer nebuloso lumine Nava."

4) tepide. edit.

Cap. XI. De Glan — Glana.

Glan de aliis fluminibus ortum habet, idcirco et aqua ejus aliquantum aspera et sana est, atque ad cibos et ad potus, ad balnea et ad faciem lavandam valet. Pisces quoque ejus sani sunt, sed diu durare non possunt propter asperitatem ejusdem aquae, arenaque ejus pulchra et sana est.

Cap. XII. De terra.

Terra naturaliter frigida est et plurimas vires in se habet. Ipsa namque in aestate inferius frigida est et superius ardore solis calida, quoniam sol per vires radiorum suorum calorem tunc gignit. In hyeme autem interius calida est, alioquin de frigida ariditate scinderetur, et superius frigida est, quoniam sol tunc vires suas super terram subtrahit, et sic terra in calore viriditatem, in frigiditate ariditatem ostendit. Nam in hyeme sol super terram sterilis est, et sub terram calorem suum figit, quatenus terra diversa gramina servare possit, et sic illa per calorem et frigiditatem cuncta gramina profert. Et terra alba, id est pallida et nigra, rufa et subviridis est. Terra quae alba, scilicet quae pallida est, et arenosa, aliquantum arida est, ac grossam humiditatem, et guttas grossas pluviae habet, et ex humiditate hac grossa vinum et pomifera ligna gignit et modicum frumenti; quoniam terra quae subtilem humiditatem (velut minutae guttae sunt) in se retinet, ex ipsa subtili humiditate frumentum gignit et modicum vini et pauca ligna pomifera. Terra autem quae nigra est, in recto temperamento frigidulam humiditatem habet, quae nec nimis multa, nec nimis parva existit, sed moderata, et ex humiditate ista non omnes fructus gignit, sed fructum quem gignit, pleniter affert, et de humiditate sua tempestatibus interdum quassata in fructu defectum habet. Sed terra rubea rectum temperamentum in humiditate et in ariditate habet, et ideo

plurimos fructus profert, qui prae multitudine ita ad perfectum pervenire non possunt et quia rectum temperamentum habet, tempestatibus non facile laeditur.

Cap. XIII. de terra quae Calaminum dicitur.

Terra quae dicitur Calaminum, nec temperate calida nec temperate frigida est, sed tepida, et fructus ad perfectum non gignit.

Cap. XIV. de terra quae Creta dicitur.

Terra quae Creta dicitur, frigida est, nec multum fructum gignit.

Cap. XV. de auro.

Aurum calidum est, et quandam naturam velut Sol habet, et quasi de aëre est, et ruborem ex igne habet, et etiam de humido aëre est.

Cap. XVI. de argento.

Argentum frigidum est, et de frigido aëre est, qui frigidum ventum illum habet, qui etiam terram frigidam facit.

Cap. XVII. de plumbo.

Plumbum frigidum est, et hominem laederet, si illud aliquo modo in corpus suum duceret, et hoc quidem faceret propter frigus quod in se habet, et quia etiam aliquantum crudosum est, et quasi despumatio et purgamentum aliorum aeramentorum.

Cap. XVIII. de cupro.

Cuprum calidum existit et cito frigescit et est velut favilla auri [1], scilicet ut favillae quae de ardentibus prunis cadunt.

---

1) V. Scivias III. vis. 10.

Cap. XIX. de auricalco.

Auricalcum calidum est et de alio metallo factum est, velut miles qui de genere suo miles non est, sed factus est miles.

Cap. XX. de stanno [1]).

Stannum frigidum esse noscitur.

Cap. XXI. de ferro.

Ferrum valde calidum in sua virtute est, et ideo forte est, et fortitudo ejus ad plurima utilis est.

Cap. XXII. de chalybe.

Chalybs valde calidus est, et quod fortissimum est, in aeramento ferri est, et divinitatem Dei fortitudine sua significat, unde et diabolus eum fugit et devitat.

LIBER II.

DE NATURIS ET EFFECTIBUS LEGUMINUM, FRUCTUUM ET HERBARUM.

1. de tritico — Triticum vulgare.

Triticum calidum est, et plenus fructus est, ita ut in eo totus fructus sit.

2. de siligine — Secale cereale [2]).

Siligo calida est, sed tamen frigidior est tritico, et multas vires habet.

---

1) Stagno, Stagnum. edit.

2) Plin. H. N. XVIII. 20. 40.

3. de avena [1]) — Avena sativa.

Avena calida existit et laetus ac sanus cibus est sanis hominibus, et laetam mentem, purum et clarum intellectum eis parat.

4. de ordeo — Hordeum vulgare.

Ordeum frigidum est et frigidius et debilius ceteris frugibus, et si aut in pane aut in farina comeditur, tam infirmos, quam sanos laedit, quia tantas vires non habet, ut caetera genera frugum.

5. de spelta — Triticum Spelta.

Spelta optimum granum est, et calida, pinguis et virtuosa et suavior aliis granis est, et eis qui eam comedunt, rectum sanguinem et rectam carnem facit, gaudium in mente hominis faciens.

6. de pisa — Pisum sativum.

Pisa frigida existit et pulmonem comedentis deprimit.

7. de faba — Vicia faba [2]).

Faba frigida est et sanis et fortibus hominibus bona est et melior pisa.

8. de lente — Ervum lens.

Lens frigida est et comesta nec medullam hominis nec sanguinem, nec carnem ejus auget, nec vires ei tribuit; sed tantum inanitatem ventris implet, et infirmos humores ad procellam in hominibus excitat.

---

1) Cf. Anton, Geschichte der deutschen Landwirthschaft I. 3 sq.— Barth, Deutschlands Urgeschichte II. 258. — J. Jacobi de reb. rustic. vetor. German. (Lips. 1833. 8,) p. 1. 3. 33. — Mela Sit. orb. III. 6.
2) Plin. H. N. IV. 27. XVIII. 30.

9. de viehbona — **Lupinus albus.**

10. de cicere — **Cicer arietinum.**

Cicer calidus existit et lenis, et suavis ad comedendum est.

11. de visela — **Ervum Ervilia.**

Visela frigida et etiam sicca est et in comedente febres excitat.

12. de wichim — **Vicia sativa.**

Wichim frigida est, nec homini ad comedendum valet, sed pecoribus non nocet.

13. de milio — **Panicum miliaceum** [1].

Milium frigidum est nec utile ad comedendum, quia nec sanguinem nec carnem in homine auget, nec vires ei tribuit, sed tantummodo ventum implet et famem minuit, quia gustum refocillationis non habet.

14. de venich — **Panicum italicum** [2].

Venich frigidum est et homini ad comedendum parum valet.

15. de semine lini — **Linum usitatissimum** [3].

Semen lini calidum est et ad comedendum homini non valet.

---

1) Strabo Geogr. IV. 3.

2) Plin. H. N. XVIII. 25. Tragi herbar. pag. 245.

3) Tacitus German. XVII. Plin. H. N. XIX. 2. M. Schookii diss. de lino. Groning. 1664. 12.

16. de canabo — **Cannabis sativa.**

Canabus calidus existit, et cum aër nec multum calidus nec multum frigidus est, crescit.

17. de galanga — **Alpinia Galanga.**

Galanga in toto calida et fortis roboris est [1].

18. de zytvar — **Amomum Zedoaria.**

Zytvar temperate calidus est, et magnam virtutem in se habet.

19. de zinzibero — **Amomum Zingiber.**

20. de cimino — **Cuminum cyminum.**

Ciminum temperati coloris est et siccum — Sano homini bonum est comestum, quia bonum ingenium parat ei, quoniam magnum calorem in illo extinguit, unde ignorantiam incurreret.

21. de piretro — **Anthemis Pyrethrum.**

Piretrum temperati caloris existit et aliquantum sicci.

22. de liquiricio — **Glycyrrhiza glabra** [2].

Liquiricium temperati caloris est, et homini claram vocem parat, quomodocunque comedatur, mentem suavem facit.

23. de cubebe — **Piper Cubeba.**

Cubebe calidum est et calor ille temperamentum in se habet et etiam siccum est. Si quis autem cubebe comedit, indignum ardorem qui in ipso est, temperat et mentem

---

1) V. Matthiol. in Dioscorid.. I. 2. Ort. sanit. de herb. 208. —
2) V. quae collegi in Antiquit. Flor. Germ. pag. 60.

35. de cerifolio [1] — Scandix Cerefolium.

Cerifolium siccae naturae est et nec de forti aëre nec de forti humiditate terrae crescit, sed in debili aura, antequam fertilis aër aestatis oriatur; sed tamen magis calidum quam frigidum est, et idem calor sanus est. Inutilibus autem herbis aliquantum assimilatur, quia, si crudum comeditur, plurimum fumum in capite hominis facit.

36. de levistico — Ligusticum Levisticum.

Levisticum temperati caloris est, quod si crudum comeditur, hominem in natura sua dissolvit et eum in natura sua destituit.

37. de pungo — Veronica Beccabunga [2].

38. de nasturtio — Lepidium sativum.

Nasturtium magis calidum quam frigidum est, et etiam humidum existit, et magis de viriditate terrae, quam de Sole crescit.

39. de brunnecrasso — Sisymbrium Nasturtium.

Brunnecrassum calidae naturae est et comestum non multum prodest homini.

40. de portulaca. — Portulaca sativa.

41. de Bachminza — Mentha aquatica [3].

Bachminza calida est et moderate comedi potest.

42. de alia menta — Mentha silvestris.

Alia menta quae magna est, calida existit.

---

1) Macedonia. Strabi hortul. 239.

2) Tragi herbar. pag. 72.

3) Strabi hortul. 286.

43. de minori menta — **Mentha arvensis.**

44. de roemische menta — **Mentha crispa.**

Roemische menta moderati caloris est sed tamen aliquantum temperati.

45. de balsamita — **Tanacetum Balsamita** [1].

46. de allio — **Allium sativum** [2].

Allium rectum calorem habet et de fortitudine roris crescit et vegetatur, scilicet a primo somno noctis usque dum diescere fere incipit. Et cum maturum est, sanis et infirmis salubrius est quam porrum.

47. de aschalonia — **Allium ascalonicum.**

Aschalonia frigida et venenosa est, et nec sano nec infirmo ad comedendum valet.

48. de porro — **Allium porrum.**

Porrum flagrantem et velocem et inutilem calorem in se habet, ut vile lignum scilicet virgultorum sepium, quod velociter accenditur et accensum velociter cadit. Et sic idem porrum homini inquietudinem in libidine facit.

49. de cepe — **Allium cepa** [3].

Cepe rectum calorem non habet, sed acutam humiditatem et de rore illo vegetatur qui est circa ortum diei, id est, cum vires roris iam elabuntur et crudum tam nocivum et venenosum est, ut succus inutilium et incultarum herbarum.

---

1) Costus hortensis Strabi hortul. 281.
2) Heumann l. c. de allio.
3) Barthol om. Anglic. propr. rer. XVII. 43.

50. de porro concavo — **Allium fistulosum.**

Dumeporrum quod cavum est, ut Surrigo, priseloch, planza et similia, nimis calidum non est, sed temperatum et aliquantum vinosum succum habet et de vento et de humiditate terrae crescit et praecipue inter alia porra minus nocivum est.

51. de caule — **Brassica oleracea.**

Caulis et wendelkoel, et rubeae caules humidae naturae sunt et in frigiditate debiles vires habent et ideo medicamentis non multum conveniunt, sed succus eorum quibusdam aliis succis additus humores solvit. Compositum autem, id est kompest, plus frigidum quam calidum et aliquantum siccae naturae est. Et omnia haec praedicta olera de livore roris et aëris crescunt et exinde quasi viscera et vires habent.

52. de weggras [1]) — **Polygonum aviculare.**

Weggras et suregrass et Raemesgrass [2]) temperatae naturae et temperati succi sunt, et sanis et infirmis sunt quasi ad medelam ad comedendum et nocivos humores non generant et facile digeruntur cum sanitate.

53. de Stutgras — **Caricis species?**

Stutgras, quae minora sunt, frigida in natura sua et debilia sunt.

54. de Stur — **Amaranthus Blitum.**

Stur frigida est et eam comedenti nec multum prodest, nec multum obest, per se autem nullas fere vires habet.

---

1) Tragi herbar. pag. 148.

2) Beta Cicla, Flora Francica, Lips. 1736. 8. p. 78.

55. de cucurbita — Cucurbita lagenaria.

Cucurbita sicca et frigida est et de aëre crescit et tam firmis quam infirmis ad comedendum bona est, quia malos humores in hominibus non auget.

56. de peponibus — Cucurbita Pepo.

Pepones humidae et frigidae sunt et de humiditate terrae crescunt et amaritudines humorum in hominibus movent.

57. de rapa — Brassica rapa [1].

Rapa calida est et gravis in stomacho hominis est, sed tamen facile digeri potest.

58. de radice — Cochlearia Armoracia.

Radix calida existit; sed postquam effoditur, sub terram in humido loco aut per tres aut per duos dies fossa ponatur, ut viriditas eius temperetur quatenus tanto melior ad comedendum sit.

59. de raphano — Raphanus sativus [2].

Rhaphanum frigidum est et cum in Martio omnes herbae virescunt, tunc etiam rhaphanum mollescit, sed tamen per breve tempus, et tunc comestum sanis et fortibus hominibus bonum est, quoniam viriditatem bonorum humorum in eis confortat.

60. de lactuca — Lactuca sativa.

Lactuca domestica quae comedi potest, valde frigida est.

---

1) Regim. schol. Salernit. cap. 47.
2) Plin. H. N. XIX. 26.

61. de lactuca agresti — Lactuca virosa.

Agrestis lactuca eandem fere naturam habet quam lactuca domestica. Homo autem qui agrestem lactucam crudam aut coctam comederet, amens fieret et in medulla sua vacuus efficeretur, quoniam nec calida nec frigida est, sed est ut inutilis ventus qui fructus terrae arefacit et nullum fructum affert. Et agrestis lactuca ista de spuma sudoris terrae crescit et ideo inutilis est.

62. de gerla — Sium Sisarum [1].

Gerla calida et sicca est et moderate comesta nec multum iuvat nec laedit.

63. de lactuca silvestri — Lactuca Scariola.

Silvestris lactuca frigida est et libidinem in homine extinguit.

64. de herba sinapis — Sinapis arvensis.

Senef herba quae in campis et in vineis crescit et comeditur calida est, sed tamen instabilem calorem habet et humida est, et in eadem humiditate indignum torporem habet, quia de variis turbinibus et de diversa aura crescit et quamvis pauperes eandem herbam comedant, inutilis tamen ad comedendum est, quia venenosa est.

65. de grano sinapis — Sinapis alba et nigra.

Sinapis granum quod molitur, valde calidae et aliquantum siccae naturae est, et in temperato calore et frigore crescit et vires herbarum et arborum habet, quia de vento illo crescit qui poma educit et etiam de viriditate terrae.

---

1) Plin. H. N. XIX. 28.

66. de pastinaca — **Pastinaca sativa** [1].

Pastinaca frigida existit et est refectio hominis, nec ei ad sanitatem multum prodest nec ei obest, sed comesta ventrem hominis tantum implet.

67. de Enula — **Inula Helenium.**

Enula calidae et siccae naturae est et viriles vires habet. Et per totum annum, tam arida quam viridis, in vinum ponatur. Et qui in pulmone dolet, hanc in vino quotidie ante et post cibum modice bibat.

68. de poleio — **Mentha Pulegium** [2].

Poleium suavem calorem habet et tamen humidum est, et harum quindecim herbarum aliquam virtutem in se habet, scilicet zitvaris, gariofyli, galangae, zinziberi, basilicae, consolidae maioris, lungwurtz, aristolochiae, millefolii ab, rotani, polypodii, agrimoniae, stur, storckenschnabel, bachminzae. Et hae herbae omnes febribus contrariae sunt.

69. de papavere — **Papaver somniferum.**

Papaver frigidum est et modice humidum.

70. de tanaceto — **Tanacetum vulgare.**

Tanacetum calidum existit et contra omnes superfluentes et effluentes humores valet.

71. de artemisia — **Artemisia vulgaris.**

Artemisia valde calida est et succus eius valde utilis.

---

1) Macer vir. herb. 1264.
2) Strabi hortul. 306.

guine et in humeribus eius destrueret et malas inundationes in eo faceret, quemadmodum procellae inquietudines in aqua parant, et postquam procella haec cessaret, pessimos livores et infirmitates in homine relinqueret.

87. de semperviva — **Sempervivum tectorum.**

Semperviva frigida est et utilis non est homini ad comedendum, quia pinguis naturae est.

88. de brionia — **Bryonia alba.**

Brionia calida est et est inutilis ad usum hominis, velut herba in qua nulla utilitas est, et calor eius periculosus est, ubi in loco venenum paratur.

89. ds frasica — **Pedicularis palustris.**

Frasica frigida existit et tam periculosum succum prae quibusdam aliis herbis habet, sicut etiam aliquis vermis peior et acerbior est quam alius.

90. de sanicula — **Sanicula europaea.**

Sanicula calida est et temperamentum in se habet, et succus eius suavis et sanus est.

91. de hermodactilo — **Colchicum autumnale.**

Hermodactilus frigidus et aridus est et in eo nec sanitas nec salus est et nulli hominum ad comedendum valet. Et si quis homo eum comederit, ad breve tempus caro eius inde quidem exterius crescit; quoniam interius vis eius deficit, quae carnem aliquantum extollit quasi crescat, et quod inde etiam saepe moritur, quoniam ipsi magis venenum quam sanitas est. Sed si pecus hermodactilum comederit, non inde quidem morietur sed tamen tardum et pravum inde erit.

91. de filice — Aspidium filix mas [1].

Filix valde calida est et arida, et modicum succum in se habet, sed multam virtutem in se tenet et talem virtutem, quod diabolus ipsam fugit, et etiam quasdam virtutes tenet, quae virtuti solis assimilantur; quia, ut sol obscura illuminat, sic ipsa fantasias fugat, et ideo maligni spiritus eam dedignatur. Nam in loco illo ubi crescit, diabolus illusiones suas raro exercet, et domum et locum in quo est, diabolus devitat et abhorret, et fulgura et tonitrua et grandó ibi raro cadunt. Sed et hominem, qui eam apud se portat, magica et invocationes daemonum et diabolica verba et alia fantasmata devitant. Et si etiam aliqua imago secundum aliquem hominem paratur ad laesionem et amorem illius, et si tunc ille filicem apud se habet, eum noccre non valet. Nam homo interdum per imaginem maledicitur, ita quod inde laeditur et amens fit [2]. Cum enim diabolus hominem in paradiso sibi attraxit, quoddam signum memoriale in diabolo factum est, quod in eo usque ad novissimum diem permanebit.. Et cum ipse per aliqua verba quae prae deceptiones eius aliquando facta sunt, interdum ab homine advocatur: signum hoc quod in eo remansit, tangitur et ita ille provocatus et illectus, multotiens per verba illa aut hominem laedit aut voluntatem eius implet super quem dicuntur [3]. Et sicut homo bonam et malam scientiam habet, ita etiam bonae et malae herbae ad hominem creatae sunt. Succus enim filicis positus est ad sapientiam, et in honestate naturae est, et in significatione

---

1) Eckhart rer. Franc. orient. comment. I. 436. du Cange glossar. I. 470.

2) Cf. Theophr. Paracelsus de Pestilitate tract. IV. cap. 2.

3) Cf. Epist. ad abbat. S. Martini Colon. cap. 103. —

boni et sanctitatis, et ideo omnia mala et magica illam fugiunt et devitant. Unde etiam cum mulier infantem iam parit, filix illi circumponatur et inde in cunam infantis, et diabolus tanto minus ei insidiatur.

93. de polypodio — Polypodium vulgare [1]).

Polypodium calidum et siccum est.

94. de humela —?

Humela tepidum frigus in se habet et quendam torporem qui luxuriam in homine excitat et qui eum infatuat.

95. de haselvurtz —?

Haselvurtz valde calida est et periculosam vim in se habet et similis tempestati et naturam hominis magis destituit quam ei ad sanitatem prosit.

96. de herba Aaron — Arum maculatum.

Herba Aaron nec tepida nec nimis fortis est, sed aequalem et temperatum calorem habet, quemadmodum sol post auroram suavem calorem habet, et ideo ad quaeque flecti potest.

97. de stigno — Solanum Dulcamara [2]).

Stignus frigus in se habet, sed tamen taedium et torporem in eodem frigore tenet, et in loco ubi crescit, diabolica suggestione aliquam partem et communionem artis suae exercere studet. Et haec herba periculosa est homini, quia spiritum eius excutit quasi mortuus sit.

---

1) J. Slevogt difs. de Polypodio. Jenae 1699. 4. —
2) Strignos Ort. sanit. de herb. 453.

98. de cardo — Carlina acaulis [1]).

Cardus niger venenum dicitur et repentinum calorem habet, qui carnem hominis urit — Et nulla alia utilitas in eo est, nisi ut medicinarum philosophi invenerunt, scilicet quod contra induratum stomachum quibusdam potionibus additur.

99. de Devurtz — Leontodon Taraxacum.

Devurtz calida et arida est et fortes vires habet et in natura sua munda est.

100. de esula — Euphorbia Esula.

Esula calida ét sicca est et ad multa utilis.

101. de quinquefolio — Potentilla reptans.

Quinquefolium valde calidum est et succus eius modicam humiditatem habet.

102. de mandragora — Atropa Mandragora [2]).

Mandragora calida est et aliquantum aquosa et de terra de qua Adam creatus est dilatata est, et propter similitudinem hominis [3]) suggestio diaboli huic plus quam aliis herbis insidiatur et adest. Et ideo cum de terra effoditur, mox in salientem fontem per diem et noctem ponatur, et sic omne malum et contrarius humor qui in ipsa est, eiicitur, ita ut amplius ad magica et ad fantastica non valeat — Species

---

1) Caesalpin. de plant. XIII. 38. du Cange I. 941. —

2) Cf. Antiquit. Florae German. pag. 89. A. Holtzbom diss. de Mandragora. Trai. 1704. 4. Schmidii comment. epistol. de Alrunis Germanor. Hal. 1739. 8. — Vink amaenitat. philolog. medic. pag. 134. —

3) Cf. Epist. ad S. Glodesind. pag. 106. „unde nullus homo propter primam suggestionem diaboli, quam Adam suscepit, in hac vita securus est.“ — Epist. ad episcop. Hierosolymitan. pag. 84. — ad S. Bernard. pag. 71. —

autem masculi eiusdem herbae ad medicamenta plus quam mulieris valet, quoniam masculus muliere fortior est. Et si aliquis homo in natura sua complexionis huius est, quod tristis et in aerumnis semper est, mandragoram cum iam de saliente fonte ablata, ut praedictum est, in lectum suum iuxta se ponat, ut de sudore suo eadem herba incalescat, et ut ipse calorem suscipiat et dicat [1]: Domine, qui hominem de limo terrae absque dolore fecisti, terram istam quae nunquam praevaricata est, iuxta me pono, ut etiam terra mea pacem illam sentiat sicut eam creasti. Quod si mandragoram non habet, primum erumpentes grossos [2] de Fago accipiat, qui eandem naturam prosperitatis in hoc opere contra assiduam tristitiam cordis habent; sed ita eos de ramusculis suis abrumpat, ne eos frangat, et eos in lectum suum iuxta se ponens, eadem verba quae praedicta sunt, super eos dicat, et laetitiam percipiet, et in corde suo medelam sentiet. Sed et idem de cedro et Aspim tristis homo facere poterit, et curabitur, ut praefatum est.

103. de winda [3] — Convolvulus arvensis et sepium.

Winda frigida est, nec multum utilis nec inutilis.

104. de Apiago — Melissa officinalis.

Apiago calida est, et homo qui eam comederit, in risum libenter movetur, quum calor eius splen tangit et inde cor laetatur [4].

1) Cf. L. III. cap. 10. — Similis incantatio est apud Apuleium, de medic. herbar. 120. „Te precor, herba hedyosme, per eum, qui nasci te iussit, venias ad me hilaris cum tuis virtutibus et effectu tuo, et ea mihi praestes. quae fide a te posco". —

2) Cf. epist. ad Sacerdot. de corp. Christi. pag. 109. —

3) Wedewinde Codd.

4) Cf. Sereni Samonici medic. 430. „Splen tumidus nocet et risum tamen addit ineptum."

105. de solsequio — Cichoreum Intybus.
Sunnenwirbel calida et humida est et in natura sua ad honorem tendit. Sed homo qui eam apud se habet, ab aliis hominibus, sicut et ille qui super alios esse appetit, ab aliis diligi non potest.

106. de Lylim — Lonicera Caprifolium.
Lylim valde calida est.

107. de malva — Malva rotundifolia et silvestris.

Malva moderatam frigiditatem in se habet, ut ros et ut aër in mane temperatus est.

108. de cardo — Eryngium campestre et Carduus benedictus [1].

Cardo tam laevis [2] quam hirsutus velocem calorem habet, qui tamen cito torpet, quia de terra sudat. Et sudor iste, de quo herba haec nascitur; hirsutus est, et horum nullus utilis est ad comedendum crudus.

109. de lappa — Arctium Bardana.
Lappa contrarium calorem aliquantum habet, et de succo et sudore terrae crescit.

110. de vehdystel — Carduus Marianus [3].
Vehdystel frigiditatem quae de rore est, in se habet, et valde utilis est.

111. de urtica — Urtica dioica et urens.
Urtica valde calida est in genere suo, et nullo modo valet ut cruda comedatur propter asperitatem suam, sed cum no-

---

1) G. Petri asylum languentium carduus benedictus. Jenae. 1668. 8.
2) lenis edit. —
3) Tragi herbar. pag. 314. —

viter de terra procedit, cocta ad cibos utilis est hominibus, quia stomachum eorum purgat. Et hoc facit quodlibet genus urticae.

112. de plantagine — Plantago media.

113. de Menua — Rumex aquaticus [1].

114. de viola — Viola odorata [2].

Viola est inter calidum et humidum, sed praecipue temperati frigoris et de suavitate et lenitate aëris crescit.

115. de atriplice — Atriplex hortensis.

Atriplex frigida est, et cum aliis cocta bonam digestionem facit.

116. de asero — Asarum europaeum [3].

Aserum calidum et siccum est et quasdam vires pigmentorum habet.

117. de abrotano — Artemisia Abrotanum.

Abrotanum calidum et siccum est et odor eius melancholiam et iracundiam in homine excitat et caput fatigat.

---

1) Menwel. Tragi herbar. pag. 118.

2) Violarum genere Germaniam antiquam caruisse, miratur Sprengel in antiquitat. botan. cap. I., deceptus obiter lecto Gesneri loco, de hortis Germaniae, pag. 286. „Theophrastus libro VI. tradit, Violam nigram posse toto anno florere, sicut et Oenanthen, si certa ratione curetur: qua etiam Dasypodium cognominatum (Dasyphyllum mallem) hoc est multiplici flore hoc genus evadit, frequentius apud Gallos et Sabaudos, nobis rarius. Ego a Sabaudis primum hunc adtuli, nunc multis in hortis habetur.“ —

3) Vulgago Macri 1832. Cf. Antiquit. Flor. German. pag. 62. J. H. Schultze diss. de Asaro. Hal. 1739. 4.

118. de cithyso — **Melilotus officinalis.**

Cithysus calidus et siccus est et ad pascua pecudum utilis et contra caliginem oculorum.

119. de absinthio — **Artemisia Absinthium.**

Absinthium valde calidum est et principalis magister contra omnes languores existit.

120. de iusquiamo — **Hyoscyamus niger.** [1]

Iuquiamus frigidus est et mollis absque viribus. Et siquis iusquiamum comederet, mortiferum venenum in eo faceret.

121. de origano — **Origanum vulgare.**

122. de millefolio — **Achillea Millefolium.**

123. de agrimonia — **Agrimonia Eupatoria.** [2]

124. de diptamno — **Dictamnus albus.** [3]

Diptamnus calidus et siccus est, et vires lapidis et ignis in se habet quia, ut lapis durus est in viribus suis et ut calorem habet in igne qui de eo egreditur, ita diptamnus virtuosus est contra infirmitates.

125. de febrifuga — **Erythraea Centaurium.** [4]

Febrifuga calida est et suavem succum habet et dolentibus visceribus ut suave unguentum est.

---

1) Symphoniaca, Benedict. Crisp. comment. medic. 12. Milimindrum, du Cange III. 615. Caniculata, Albert. Magn. virt. herb., Macer 1933. —

2) Sarcocola Strabi hortul. 389. Ferraria minor. Vincent. Belvac. — Denicleta, Codd.

3) J. D. Geieri Dictamnographia. Frcfti. 1687. 4.

4) Plin. H. N. XXV. 31. S. Ledelii Centaurium minus auro tamen maius. Frcfti 1694. 8.

126. de pilosella — **Hieracium Pilosella.**

Pilosella frigida est et comesta cor confortat.

127. de gladiola — **Gladiolus communis.** [1]

Gladiola calida et sicca est, et omnis vis eius in radice est.

128. de ebulo — **Sambucus Ebulus.**

Ebulus frigidus et humidus est et naturae hominis contrarius. Sed si alicuius hominis caput sonum velut torrens aqua reddiderit, capiti illius ita frigidum circumponatur.

129. de solatro — **Solanum nigrum.**

Solatrum calidum est et siccum.

130. de ringella — **Calendula officinalis.**

Ringella frigida et humida est et contra venenum valet.

131. de Blandonia [2]) — **Verbascum thapsus.**

132. de alentidio — ?

Alentidium calidum et pingue est et nec hominibus nec pecoribus prodest, nam sanguinem minuit et tabem auget, cum eam non aufert.

133. de centaurea — **Centaurea montana.** [3])

Centaurea calida et sicca est.

134. de dactilosa — **Panicum dactylon. Spreng.**

Dactilosa ignea est et bonam virtutem habet.

---

1) Digladium Strabi hort. 218. Arzneibuch Ortolffs, von den Kräutern cap. 103.

2) Flammon, Himmelprant, wullin. Codd. Taxus barbatus, Herbar. Patavin. 1484. cap. 144.

3) Plin. H. N. XXV. 30.

135. de pandonia — ?

Pandonia calida est et signa scientiae hominis plus quam aliae herbae in se designat, et ideo fallacia et deceptio diaboli umbras suas interdum super eam parat.

136. de cittervurtz nigro — **Rumex acutus.**

Cittervurtz quod nigrum dicitur, calidum est.

137. de cittervurtz albo — **Rumicis acuti varietas.**

Cittervurtz quoque album calidum est et naturam nigri habet, excepto quod nigrum acerbius est albo.

138. de basilisca — **Ocimum Basilicum.**

139. de bibinella — **Pimpinella Saxifraga.** [1]

Bibinella frigida est et ad usus hominum non multum valet. Sed tamen si homo eam in collo suo suspensam semper habet, nec ab invocationibus daemonum nec a magicis verbis illudi poterit.

140. de Acoleia — **Aquilegia vulgaris.** [2]

141, de Citocatia — **Euphorbia Lathyris.** [3]

142. de Bervurtz — **Athamanta Meum.**

143. de saxifrica — **Asplenium ruta muraria.**

Saxifrica frigida est et fortes vires habet.

144. de ugera — ?

Ugera valde calida est et magnum et forte ulcus frangit. Nam Ugera tundatur et modicum olei olivae ei addatur et frigida super ulcus ponatur.

---

1) J. Hertii diss. de Pimpinella Saxifraga. Giessae 1726. 4. —
2) J. Eyselii diss. de Aquilegia. Erford. 1716. 4. —
3) Cf. L. II. 19.

145. de chelidonia maiore — Chelidonium maius.

146. de ebech — Hedera Helix.

Ebech frigida est et homini ad comedendum inutilis.

147. de ibisco — Althaea officinalis.

Ibiscum calidum et siccum est et contra febres valet.

148. de denemarcha [1]) — Valeriana officinalis.

Denemarcha calida et humida est.

149. de calamento — Nepeta Cataria. [2])

150. de Kranchschnabel — Erodium Cicutarium.

Kranchschnabel valde calida est.

151. de consolida — Symphytum officinale. [3])

152. de rustica — ?

Rustica calida in bono temperamento est.

153. de gelisia — Galeopsis Tetrahit.

154. de gith — Nigella arvensis.

Herba quae gith dicitur, valde calida est.

155. de verbena — Verbena officinalis. [4])

---

1) Tannenmark, Denmark. Codd. Tragi herbar. pag. 25. —

2) Macer vir. herb. 593. —

3) Consolida maior Herbariorum. —

4) Plin. H. N. XXV. IX. S. Arnold diss. de Verbena. Jenae 1721. 4. —

156. de satureia — **Satureia hortensis.**

Satureia magis est calida quam frigida.

157. de megilana — ?

Megilana frigida est. Si autem in quolibet homine scrofulae crescunt, hic Megilanam saepe comedat et evanescent.

158. de dornella [1]) — **Potentilla Tormentilla.**

Dornella frigida est et contra febres valet, quae de noxiis cibis oriuntur.

159. de cicula — ?

Cicula valde calida est.

160. de storckenschnabel — **Geranium pratense.**

Storckenschnabel frigida est.

161. de aristolochia — **Aristolochia Clematitis.**

162. de benedicta — **Geum urbanum** [2]).

163. de rubea — **Geranium Robertianum** [3]).

Rubea frigida est et contra febres valet.

164. de ficaria — **Ficaria verna.**

Ficaria frigida est et humida.

165. de weich — **Galium Mollugo** [4]).

Weich frigida est et idem frigus acutissimum est.

---

1) Turnella glossar, Herbipol. apud Eckhart. II. 980.
2) Radix gariofila, Sanamunda Codd. —
3) Cf. Antiquit. Florae Germ. pag. 62. —
4) Tabernaemontan. herbar. pag. 434. —

166. de himelschluzela — Primula officinalis[1].

Himelschluzela calida est et omnem viriditatem et virtutem suam ab acumine solis habet. Nam quaedam herbae praecipue de sole, quaedam autem de luna, quaedam vero de sole et de luna confortantur, sed herba haec praecipue de virtute solis vires suas accipit. Unde et melancholiam in homine compescit. Melancholia enim cum in homine surgit, eum tristem et in moribus suis turbulentum et verba contra dominum proferre facit. Quod aërei spiritus videntes, illi accurunt et suasionibus suis in amentiam illum multotiens evertunt. [2] Unde idem homo herbam hanc super carnem ad pectus et ad cor suum ponat, quatenus ab illa incalescat, et aërei spiritus qui eum fatigant, virtutem eiusdem herbae quam a sole accepit dedignantes, ipsum hominem fatigare cessabunt.

167. de Birchvurtz — Potentillae spec.?

168. de Erdtpeffer — Polygonum hydropiper.

169. de huoflathdetha maiore — Tussilago Petasites. [3].

Maior Huoflathdetha frigida et humida est, et ob hoc fortiter crescit. In ipso autem acumine et in frigiditate sua pravos humores extrahit, cum ulceribus superponitur.

170. de huoflathetha minore — Tussilago Farfara.

Minor Huoflathetha calida est.

---

1) Dierbach Flora mytholog. pag. 176.
2) Cf. Gariopont. tot. corpor. remed. I. 11.
3) C. Bergen diss. de Petasitide. Frcfti. 1759. 4.

171. de Plionia [1] — **Paeonia officinalis.**

172. de scamphonia — **Convolvulus Scammonia.**

Scamphonia acutum et acerbum frigus in se habet et ad destructionem laborat. Nam cum medici potiones quas dare solent accelerare et veloces facere volunt, Scamphoniam illis addunt, et inutili natura sua tam sanos quam infirmos humores ab homine expellit.

173. de Hunesdarm — **Alsine media.**

174. de Razela — **Polygonum Persicaria.**

175. de Dorth — **Myagrum sativum.** [2]

176. de cardo [3] — **Cardui species.**

Cardus calida et sicca est. Sed homo, qui venenum comedit aut bibit, caput cardi et radicem et folia pulverizet.

177. de herba Brambere — **Rubus caesius et fruticosus.**

Herba in qua Brambere crescunt, calida est.

178. de herba in qua Fraga crescunt — **Fragaria vesca.** [4])

Herba in qua Fraga nascuntur, calida est et ad medicinam parum valet.

---

1) Pionia Ort. sanit. de herb. 330. S. Berger von wunderlicher Kraft der Paeonienwurz. Frcft. 1599. 8.

2) Flora Francica cap. 383.

3) du Cange I. 928.

4) S. Frenzelii diss. de Fragariae fructu. Wittebg. 1662. 4.

179. de herba in qua Walbere crescunt — Vaccinium Myrtillus. [1])

Herba in qua Walbere nascuntur, maximum frigus in se habet.

180. de Simez — Stellaria media Spreng.

181. de Thimo — Thymus vulgaris. [2])

LIBER III.

DE

NATURIS ET EFFECTIBUS ARBORUM, ARBUSTORUM ET FRUTICUM, FRUCTUUMQUE EORUNDEM.

Arbores omnes aut calorem aut frigus in se habent, quemadmodum et herbae; sed tamen quaedam arbores calidiores sunt aliis, quaedam autem frigidiores. Nam domesticae arbores quae fertiles sunt et quae rectos fructus proferunt, calidiores silvestribus et infructiferis arboribus et lignis existunt. Sed silvestres arbores quae grandiores et plures fructus proferunt, calidiores aliis silvestribus arboribus sunt: quae autem minutos et paucos fructus proferunt, frigidiores aliis silvestribus arboribus sunt. Arbores autem et ligna de medulla sua virescunt et crescunt, sicut et homo de medulla sua viget, et si medulla arboris laesa fuerit, arbor detrimentum sui sentiet.

1. de arbore nucis muscatae — Myristica moschata.

Arbor in qua nux muscata crescit, calida est, lignum autem et folia eius medicinae non multum conveniunt.

---

3) Plin. H. N. XVI. 31.

2. de arbore cinnamomi — **Laurus cinnamomum.**

Arbor cuius cortex cinnamomum est, valde calida est.

3. de arbore piperis — **Piper nigrum** [1])

Arbor in qua piper crescit, valde calida est, piper quoque valde calidum et aridum est.

4. de arbore balsami — **Amyris gileadensis et Opobalsamum.** [2])

Arbor ex cuius rimulis balsamum sudat, calida est. Liquor autem, scilicet balsamum, regalis naturae et valde calidum et humidum est, et in tali temperamento et tam magna cautela ad medicamenta habendum est, velut nobiles homines venerari et timeri debent, ne ad iracundiam provocentur.

5. de arbore ligni Aloë — **Aloëxylon Agallochon.** [3])

6. de arbore myrrhae — **Amyris Kafal.** [4])

Arbor ex qua myrrha sudat, calida est.

7. de thure — **Boswellia turifera.**

Arbor ex qua thus sudat, calida est.

8. de arbore camphorae — **Dryobalanops Camphora.**

Arbor de qua camphora sudat, acutum et mundum frigus in se habet et natura eius munda est. Camphora autem,

---

1) Regimen schol. Salernit. cap. LXXV.
2) C. Sprengel comment. in Dioscorid. I. 18. Cf. Scivias II. vis. 3.
3) Matthiolus in Dioscor. I. 21.
4) Sprengel in Dioscor. I. 77.

scilicet gummi, puram frigiditatem in se habet, et ignem qui in homine est, frigore suo impedit.

9. de cedro — Iuniperus phoenicea, oxycedrus.

Cedrus calida est et aliquantum sicca.

10. de cypresso — Cupressus sempervirens.

Cypressus valde calida est — Quod si etiam aliquis homo a diabolo, vel per magica irretitus est, praefatum lignum quod cor dicitur, cum terebro perforet et in fictili vase aquam vivi fontis tollat, et eam per idem foramen in aliud fictile vas fundat, et cum iam infundit, dicat: Ego fundo te aqua per foramen istud in virtuosa virtute quae Deus est, ut cum fortitudine quae tibi adest in natura tua, fluas in hominem istum, qui in sensu suo irretitus est, et omnes contrarietates in eo destruas, et eum in rectitudinem, in quam Deus eum posuit, in recto sensu et scientia reponas. Et aquam istam per novem dies ieiunus bibat et etiam totiens hoc modo benedicatur, et melius habebit. [1])

11. de palma — Phoenix dactylifera.

12. de castanea — Castanea sativa.

13. de nespelbaum [2]) — Mespilus germanica.

Nespelbaum valde calida est, cortex autem et folia eius medicinae non multum conveniunt, fructus autem bonus est et utilis.

14. de fico — Ficus Carica.

Ficus calida est — Sed et fructus arboris huius tempera-

1) Cf. L. II. cap. 102.
2) Tragi herbar. pag. 374. Reg. schol. Salern. cap. XLIV.

tus est, et sano homini ad comedendum non valet, quia facit eum mutabiles mores habere.

15. de lauro — Laurus nobilis.

16. de oliva — Olea europaea.

17. de boncithero — Rhus Spreng. ?

Arbor in qua boncitherim crescunt, calida est — Sed et poma eius comesta febres compescunt.

18. de malo — Pyrus malus.

Malus calida et humida est — Fructus arboris lenis est et facile digeri potest.

19. de piro — Pyrus communis.

Pirus frigida est et tam firma ad similitudinem mali sicut iecur ad pulmonem — Fructus autem piri gravis et ponderosus et asper est.

20. de nuce — Iuglans regia.

Nux calida est — Nuces, sive rudes sive veteres sint, febres in homine qui multum ex eis comederit, excitant.

21. de quotano — Pyrus Cydonia. [1])

Quotanus calidus est et fructus eius calidus et siccus.

22. de persico — Amygdalus Persica. [2])

Persicus calida est — Qui fructum persici comedere vult, corticem et nucleum auferat, et quod reliquum est, in vinum ponat; sale et modico pipere additis, et hoc modo paratum non laedit.

---

1) G. Jung difs. de malo cydonio. Vindob. 1673. 8.
2) C. Ungnad diss. de malo persico. Frcft. Viadr. 1787. 4.

23. de ceraso — **Prunus cerasus et avium.** [1]

24. de pruno — **Prunus domestica et insititia.** [2]

Prunus calida est — Fructus autem arboris huius homini nocivus et periculosus est velut inutilis et neglecta herba — Omnes autem genus arboris huius sive sint Russesprumin, sive garchsleni, sive Krichim, et simile genus praedictas vires in cortice et in foliis suis et eandem naturam in fructu suo habent, ut de arbore hac praedictum est, excepto, quod quae maiores fructus proferunt, fortiores etiam vires in se habent.

25. de esculo — **Sorbus domestica.**

Esculus calida et sicca est. Homo enim terram quae sub arbore hac circa radices eius est, in hortos suos spargat, et virviscellae quae olera corrodunt, propter molestiam eius abscedunt nec ibi proficere possunt.

26. de mulberboum — **Morus nigra.**

Mulberboum frigida et in bono temperamento est — Et ubertas in fructu eius est, et nec infirmos nec sanos laedit.

27. de corilo — **Corylus avellana.**

Corilus frigida est — Fructus corili, scilicet nuces, sanum hominem non laedunt, infirmo autem oberunt.

28. de savina — **Juniperus Savina.**

29. de buxo — **Buxus sempervirens** [3].

---

1) Plin. H. N. XV. 30.

2) Cf. Gesneri hort. German. de prunis.

3) Plin. H. N. XVI. 28.

30. de abiete — Pinus abies [1].

Abies calida est et multas vires in se habet. Nam in quocunque loco lignum abietis est, aërei spiritus illum odio habent et magis devitant, quam alium loco, et maleficio et magica ibi minus vigent et praevalent quam in aliis locis.

31. de picea — Pinus silvestris.

32. de tilia — Tilia europaea.

Tilia magnum calorem habet.

33. de quercu — Quercus pedunculata.

Quercus frigida et dura et amara est; sed tamen de fructu eius quaedam virtuosa animalia pascuntur et pinguia fiunt veluti porci sunt. Ad medicamenta autem nec lignum nec fructus eius multum valet.

34. de fago — Fagus silvatica.

Fagus in recto temperamento caloris est.

35. de fraxino — Fraxinus excelsior.

36. de tremulo — Populus tremula.

37. de alno — Alnus glutinosa [2].

38. de platano — Acer pseudoplatanus [3].

39. de taxo — Taxus baccata [4].

---

1) Plin. H. N. XVI. 76.

2) Alnidus. du Cange I. 160. Keyssler antiquit. Septentrion. pag. 70. Torgill. Arnkiel de relig. ethn. Cimbror. I. 30. —

3) Plin. H. N. XII. 3. XVI. 26.

4) Caesar bell. gallic. VI. 30. Plin. H. N. XVI. 20. —

40. de vibice — Betula alba. [1])

41. de fusario — Euonymus europaeus. [2])

42. de carpeno — Ulmus campestris. [3])

43. de corno — Cornus mascula.

44. de mirto — Myrtus communis.

Mirtus calida est — Si quis cerevisiam parat, folia et fructus cum ea coquat et sana erit.

45. de iunipero — Juniperus communis. [4])

46. de Holderboum — Sambucus nigra.

47. de Meltzboum — Crataegus torminalis.

48. de yffa [5]) — Pini species.

Yffa aestivum calorem habet.

49. de hartboum — Carpinus betulus.

Hartboum astivum calorem habet.

50. de mirica [6]) — Tamarix germanica.

Mirica valde calida est.

---

1) Plin. H. N. XVI. 30. Betulae antiquitates scripserunt Königsmann, de usu betulae pentecostal. in ecclesiis, C. Horn in observat. circa iura eleemosynar. cap. IV, E. Camerarius, diss. de betula (Tubing. 1727. 4). Olaus Magnus gent. Septentr. histor. XII. 4. —

2) C. N. Hellenii diss. de Euonymo. Aboae 1786. 4. —

3) Ulmos gallicas laudat Plin. H. N. XVI. 28, 83. A. Riddermarck diss. de Ulmo. Lond. Scand. 1692. 4. —

4) B. Scharffii Juniperi descriptio curiosa. Frcfti 1679. 8.

5) V. du Cange II. 202.

6) Cf. Ort. sanitat. de herb. 466.

51. de tribulo -- **Crataegus oxyacantha.**
Tribulus valde calidus est.

52. de spina — **Prunus spinosa.**
Spinae calidae sunt.

53. de vite — **Vitis vinifera.**
Vitis igneum calorem habet — Vinum autem quod de vite nascitur, si purum fuerit, bibenti sanguinem bonum et sanum, turbidum vero, malum et velut cineribus aspersum facit. Franconicum [2] et forte [3] vinum velut procellas in sanguine parat, et ideo qui eum bibere voluerit, aqua temperet. Sed necesse non est, ut hunonicum aqua permisceatur, quoniam illud naturaliter aquosum est.

LIBER IV.

DE NATURIS ET EFFECTIBUS PISCIUM, VOLATILIUM ET ANIMANTIUM TERRÆ.

Pars I. Piscium varia discretio et natura.

Quidam ex piscibus sunt, qui ex natura sua circum fundum maris et fluminum versantur et ibi pascua quaerunt, et fundum ita sulcant, velut porci terram, et ibi quasdam radices et herbas comedunt, quibus diu vivunt, et etiam interdum fere ad medietatem aquarum ascendunt, et interdum ad fundum et ibi praecipue manent. Et caro istorum

1) Plin. H. N. XVI. 30. —

2) Vinearum Franconiae prima mentio fit in diplomate anni DCCL apud Eckhartum rer. Franc. orient. comment. I. 643. Vites iam anno CCCCLVIII. Wirceburgi cultas esse refert zur Westen in dissert. de montibus Franconiae vitiferis. Wircebgi. 1728. 4. —

3) id est italicum. V. du Cange glossar. II. 1483. —

aliquantum mollis et infirma est, nec satis sana ad comedendum, quia circa fundum aquarum semper versantur. Et quidam ex istis solis splendorem magis diligunt quam noctem. Quidam vero noctem et lunae splendorem magis quam diem. Quidam autem ex istis granula seminis sui post ordinem effundunt, ita ut postquam semen suum vitalem aërem acceperit, statim aliud effundunt, et ita donec per omnia a granulis et a lacte suo evacuentur, et ideo debilitantur, quoniam in hac effusione hoc modo festinant. Quidam vero ex eis in effusione hac intervalla habent, quemadmodum et luna in splendore suo, ita ut postquam granula et lac seminis sui effuderint et illud vitalem aërem acceperit, intervallum habent et exspectant, dum plus confortentur, et ita semina sua effundunt, ita quod saltem a Martio usque ad autumnum a semine suo se evacuant. Sed et alii pisces sunt, qui in medietate et in puritate maris et aliorum fluminum praecipue versantur et ibi pascua sua quaerunt, et etiam quasdam herbas in prominentibus scopulis valde sanas inveniunt, de quibus pascuntur, scilicet quae tantam sanitatem in se habent, ut si homo eas habere posset, omnem infirmitatem per ipsas a se depelleret, et pisces illi ad comedendum sani sunt, et caro eorum aliquantum fortis est, et minores illis piscibus existunt, qui circa fundum libenter versantur. — Et alii pisces sunt qui circa summitatem maris et aliorum fluminum versari solent, et ibi in spumis et in superioribus multis sordibus pascua sua quaerunt; et a calore solis magis quam alii perfunduntur, et etiam interdum in quibusdam cavernulis se abscondunt, in quibus faetida aqua est, quae effluere non potest, et ideo caro eorum mollis et infirma est, nec ipsi ad comedendum sani sunt. Et omnes pisces secundum genus suum herbas sibi convenientes per hyemem et etiam interdum in aestate comedunt, unde et lac et granula seminis sui in eis crescunt, et de

his faecunditatem habent; ita, ut etiam si mulier quae infaecunda est, ex eis comederet, faecunda fieret et conciperet. Et alio modo ad concipiendum sibi non commiscentur, quatenus lac aut granula in eis nascuntur, quemadmodum alia animalia sibi commisceri solent, sed solummodo ad effusionem seminis sui tam magnum desiderium habent ut alia animalia ad coitum. Et unusquisque parem et convenientem sibi quaerit. Et cum tempus effusionis seminis eorum instat, locum circa scopulos aut littus quaerunt, ubi nec venti nec procellae eos laedere possunt et ubi herbulae, quibus interim pascantur, circum natae sint, et tunc piscis ille qui femina est, in modum lineae granula sua fundendo praecedit, usque dum secundum naturam suam ab effusione hac desistat; et ubi finem effusionis huius facit, ibi piscem videlicet masculum advenire praestolatur. Mox masculus subsequitur et lac suum eo ordine et mensura super granula fundit, quo piscis femina praecessit, et deinde lac suum fundere desistit: et evacuati et fatigati aliquantum debiles efficiuntur, et iuxta eundem locum quietem sibi quaerunt, dum vires suas recipiant, et herbulis circumpositis interim pascuntur. A tempore autem illo quo simul effunduntur, se cognoscunt et simul versantur, et postquam creverint, semina sua simul effundunt, et si aliqui eorum capiuntur, illi qui remanent alios sibi aetate similes iterum quaerunt. Et sicut homo naturam suam destituit, pecoribus se commiscens: ita etiam et pecora extra genus suum aliquando in commixtione ducuntur, et sic etiam pisces a genere suo in aliud genus interdum in effusione seminis sui declinant, et aliud genus extraneum generi suo producunt, ut in anguilla et in aliis piscibus notari potest. Deus aut quibusdam piscibus quandam scientiam secundum naturam et genus suum dedit, quod quasdam herbas et radices in aquis cognoscunt, quibus interdum vescuntur, cum alios cibos non habent, qua-

rum fortitudo et natura talis est, cum eas semel gustaverint, quod aut per dimidium annum aut per quatuor menses nullo pastu indigent. Quod autem pisces clamosas voces non habent, quemadmodum cetera animalia concipiuntur, et etiam pro clamore vocis quam ipsi in alvo non habent, aqua in qua conversantur, sonum in cursu suo tenent. — Reptantia autem et illa quae interdum in aqua, interdum super terram sunt, vel quandam cognationem cum animalibus habent, et ideo linguas ad sibilos et ad sonos vocum habent.

1. De Cete [1]) — Balaena mysticetus.

Cete igneum calorem et aquosum aërem in se habet, et naturam piscium et etiam quandam cognationem de natura bestiarum, scilicet leonis et ursi; et caro piscis huius sana est.

2. de Merschvin — Phoca vitulina.

Merschvin de calido aëre est et naturam piscium et etiam fere porcorum habet.

3. de echino — Echinus esculentus.

Echinus de calido aere est.

4. de rombo — Pleuronectes maximus.

Rombus de frigido aëre est.

5. de salmone — Salmo Salar. [2])

6. de welza [3]) — Silurus Glanis.

Welza de calido aere est et sanas carnes habet quae infirmis et sanis hominibus bonae sunt.

---

1) Balena du Cange I. 495.
2) Cf. Auson. Mosell. 97.
3) Welra edit.

7. de esoce — Acipenser Sturio.

Esox de calido aëre est et carnes eius saniores carnibus Salmonis sunt.

8. de lucio — Esox lucius.

9. de siluro — Acipenser Huso [1].

10. de carpone — Cyprinus carpio.

11. de bresma [2] — Sparus Pagrus.

Bresma calida est et nec sanis nec infirmis ad comedendum satis valet.

12. de elna — Salmo Eperlanus.

13. de mechefisch — an Megaris piscis Ort. sanit. de an. 55.?

Mechefisch de frigido aëre est et comestus nec sanos nec infirmos laedit.

14. de scollo — Pleuronectes platessa.

Scollus calidus est et nec sanis nec infirmis valet ad comedendum — quod autem ex altera parte corporis sui carnem fere non habet, cute tantum super spina extensa, hoc ideo est, quia si ibi carnes haberet, venenosae essent; in capite etiam venenum gestat.

15. de forna — Salmo trutta.

Forna de calido aëre est, et sanos non laedit.

---

1) Cf. Auson. Mosell. 135.
2) Bresmia du Cange I. 683. Gesner Thierbuch 165.

16. de muniwa — **Percae spec.**

Muniwa de frigido aëre est et caro eius sana non est.

17. de porca — **Perca fluviatilis.** [1])

Porca de calido aëre est et caro eius sana est.

18. de esch — **Salmo thymallus.** [2])

Esch de frigido aëre est, et carnes sanae sunt tam infirmis quam sanis hominibus.

19. de allec [3]) — **Clupea harengus.**

Allec de frigido aëre est, et cum capitur et recens est, sanis et infirmis ad comedendum nocivus est. Et infirmo et sano melius et salubrius est allec assum quam coctum.

20. de crasso — **Cottus gobio** sive **Cyprinus crassius.**

Crassus de calido aëre est et bonus ad comedendum.

21. de steinbiza — **Anarrhichas lupus.**

Steinbiza de frigido aëre est et homini ad comedendum sana non est sed fere ut vermis.

22. de cancro — **Astacus fluviatilis.**

Cancer calidus est et sanas carnes habet, quas sanus et infirmus comedere potest — In capite eius quoddam viride est, quod dicitur **crebezes malz.**

---

1) Cf. Auson. Mosell. 118.

2) Walafridi Strabi carmen de morte Wetini: „Interea dulcis fertur mihi normula piscis Asconis calidi."

3) du Cange I. 182.

23. de anguilla — Muraena anguilla.

Anguilla de calido aëre est, et caro eius aliquantum inmunda est nec sana homini [1]) ad comedendum velut porcorum; infirmos in omnibus malis humoribus et infirmitatibus eorum concutit et comedentes amaros animo et astutos et suspiciosos facit.

24. de alropa — Gadus lota.

Alropa de frigido aëre est, nec ad comedendum valet.

25. de piscibus conchas habentibus — Mya pictorum?

Quoddam genus piscis est, quod conchas super se habet, et sanis et infirmis ad comedendum parum valet.

Pars II. Volatilium natura et varietas.

Volatilia frigidiora sunt animalibus quae in terra versantur, quoniam tanto calore libidinis non generantur, et etiam mundiores [2]) carnes terrenis animalibus habent, quia non nuda de matre procedunt, sed testa cooperta. Quaedam etiam ab igneo aëre vivunt et ideo velut ignis sursum tendunt. Sed illa quae altitudinem in volatu suo petunt, plus de igneo aëre in se habent, quam illa quae circa terram versantur. Haec autem, quae et in aquis et in terra et in aere versantur, erectam altitudinem aeris non petunt, sed quo aer terrae, et aer aquae se extendit. Illa quoque quae plurimis pennis abundant, calidiora illis sunt, quae penuriam pennarum patiuntur. Et quoniam volatilia de aere vivunt, in aliquo casu, de quo aer tangitur, motum

1) Cf. Regim. schol. Salernit. cap. 31.
2) Epist. ad Arnold. episc. Colon. pag. 29.

aliquando naturaliter sentiunt, et quia etiam aereae sunt, mutationem aeris multotiens in se sentiunt, et secundum eandem voces suas saepissime producunt, quemadmodum gallus horas diei et noctis vocibus suis distinguit, et ut etiam aliquando cantare incipit cum aura se ipsam in alium modum mutare videtur. Volatilia quoque virtutem hanc designant, qua homo cogitando dictat et qua in semetipso praemeditando multa deputat antequam in fulgens opus procedant. Et ut volatilia in aerem pennis attolluntur, et ubique in aere versantur: sic etiam anima, dum in corpore hominis est, cogitationibus suis elevatur et ubique se dilatat.

1. de grifone — Gryphus Plinii H. N. VII. 2. X. 70.

Grifo valde calidus est et quiddam de natura volucrum et etiam bestiarum in se habet — Nec caro nec ova eius, nec caetera quae in eo sunt, medicinae conveniunt.

2. de strutione — Struthio Camelus.

Strutio valde calidus est, et de natura bestiarum in se habet.

3. de pavone — Pavo cristatus.

Pavo calidus et humidus est, et de natura volucrum et bestiarum in se habet, et vox eius secundum volucres et bestias permixta sonat. — Ova eius ad comedendum non valent.

4. de grue — Ardea grus.

Grus calidus est et mundam naturam habet, caro eius tam sanis quam infirmis hominibus ad esum bona est.

5. de cigno — Anas olor.

Cignus frigidus et humidus est, et caro eius sanis ad comedendum bona est.

6. de ardua — Ardea maior.

Ardua calida et sicca est, et caro eius tam infirmis quam sanis ad comedendum bona est.

7. de ansere — Anas anser.

Anser calidus est et de aere de quo bestiae vivunt, et etiam de aquoso aere qui ei pennas educit. Sed homines qui sani sunt, carnes eius comestas aliquo modo superare poterunt. Si quis autem anserem comedere vult, eum per tres aut per duos dies valde esurire permittat, et deinde frumento nutriatur. Et postquam occiditur, ad ignem assetur, et salvia et aliae bonae herbae ei imponantur, ut succus earum ipsum pertranseat, et etiam vino aut aceto cum flabello semper aspergatur, ut sagimen eius effluat.

8. de grandula — An Glandara, Corvus glandarius. [1])

Grandula valde calida est et tam infirmis quam sanis ad comedendum bona est.

9. de ancta — Anas domestica.

Aneta quae domestica est, gravem calorem habet, et sani carnes eius comestas superare possunt, infirmis autem non valent. — Ova autem venenum et ut fixura araneae homini sunt.

10. de aneta sylvestri — Anas boschas.

Silvestris ancta eandem naturam habet, quam et domestica, sed silvestris salubrior est ad esum hominis, quia semper in aqua versatur.

---

1) Cf. Petr. Crescent. rur. commod. X. 4. du Cange I. 709.

11. de gallo — Phasianus Gallus.

Gallus et gallinae utrique frigidae naturae et siccae sunt, et carnes eorum sanis hominibus ad comedendum bonae sunt, sed tamen comestae eos pingues non faciunt, infirmos autem refocillant.

12. de urhun — Tetrao urogallus.

Urhun calidum et aliquantum humidum est, et ideo tam infirmis quam sanis in comestione bonum est.

13. de perdice [1]) — Tetrao perdix.

Perdix frigida est et caro eius fragilis est et comesta sanos non multum laedit, infirmis autem non valet.

14. de birchun — Tetrao tetrix.

Birchun eandem fere naturam habet quam perdix, praeter quod caro birchunes tam infirmis quam sanis melior et sanior ad comedendum est quam caro perdicis.

15. de columba — Columba Oenas et Palumbus.

Columba frigida est, et caro eius firma non est — Sed Palumbes et Holduba et Ringelduba, eandem naturam habent; excepto quod illae in silvis morantur et inde aliquantum acriores et maiores istis sunt.

16. de vulture — Falconis spec.

Vultur frigidae naturae est, et artes volucrum et bestiarum aliquantum sentit et inter alias volucres velut propheta est, et caro eius comedi non debet, quia homini mortifera esset.

---

1) Attagen Plin. H. N. X. 68.

17. de aquila — Aquila (Falco) Plinii H. N. X. 3.

Aqnila valde calida est et oculi eius magis ignei sunt quam aquosi et caro eius homini ad comedendum mortifera est. Sed aquilae quamvis diversa nomina habeant, omnes tamen eandem naturam habent, nisi quod alia acrior, alia levior est, et quod alia velocius alia tardius volat.

18. dn ciconia — Ardea ciconia.

Ciconia calida est et caro eius ad esum hominis non valet.

19. de herodio [1]) — Falconis spec.

Herodius calidus et siccus est, et magnam vim cordis habet, et caro ipsius non comeditur. — Sed alii herodii de quacunque terra sint, eandem naturam habent, nisi quod interdum secundum naturam regionum in quibus nutriuntur, alii aliis fortiores et velociores existunt.

20. de accipitre — Falco gentilis.

Accipiter calidus et humidus est, nec caro eius propter ferocitatem ipsius comeditur, quia homo inde laederetur.

21. de niso — Falco nisus.

Nisus calidus est, et laetus et velox in volatu.

22. de milvo — Falco milvus.

Milvus calidus est, et caro eius ad comedendum homini contraria est, quia omnes aves quae unguibus rapaces sunt, ad comedendum homini contrariae sunt.

---

1) Erodius, grifalco, rapacissima avis, omnium volatilium major, et aquilam vincit. du Cange I 736. Ort. sanit. de an. 65.

23. de laro — Fulica.

Larus de calido ardore solis procedit et caro eius sanis et infirmis bona est.

24. de pica — Corvus pica.

Pica gravem calorem in se habet, et caro eius homini ut venenum contraria est.

25. de hera — Corvus caryocatactes?

Hera calida est et aliquantum sicca, et caro eius homini quasi venenum esset qui eam comederet.

26. de ulula — Strigis spec.

Ulula calida est, et si homo carnes eius comederet, ei quasi venenum essent.

27. de bubone [1]) — Strix bubo.

Bubo calidus est et caro eius homini contraria est.

28. de pellicano [2]) — Pelecanus onocrotalus.

29. de cuculo — Cuculus canorus.

Cuculus calidus est et caro eius homini ad comedendum non valet.

30. de schnepfa — Scolopax.

31. de pico — Picus maior et viridis.

Picus calidus est. — Homo leprosus viridem picum assatum saepe comedat.

---

1) rubone, rubo. edit.
2) onocrotalus Plin. H. N. X. 66.

32. de wichdewale — Tetrao coturnix.

Wichdewale calidum est et instabile et caro eius usui hominum in cibo non convenit.

33. de parice — Parus.

Parix calidus est et caro eius sanis et infirmis ad comedendum bona est.

34. de amsla — Turdus merula.

35. de droesla [1] — Turdus viscivorus et iliacus.

36. de laudula — Alauda.

37. de Isenbardo [2] — Alcedo ispida.

38. de upupa — Upupa epops.

Upupa calida est et cibo hominis non convenit.

39. de lucinia [3] — Motacilla luscinia.

40. de stara — Sturnus vulgaris.

41. de frigello — Fringilla caelebs.

Frigellus calidus est et sanis in comestione non multum obest, infirmos autem laedit.

42. de carduello — Fringilla carduelis.

43. de lucilia — Motacilla flava.

Lucilia temperatum calorem in se habet, et sano et infirmo ad comedendum bona est.

---

1) turdus Plin. H. N. X. 35.
2) Eisengart, Gesner Thierb. 57.
3) Cf. Ort. sanit. de an. 72.

44. de begesterz — **Motacilla alba.**

Begestertz calida est et humida.

45. de hyrundine — **Hirundo.**

Hyrundo calida est et usui ciborum hominis non valet.

46. de vespertilione — **Vespertilio murinus.**

47. de apibus — **Apis mellifica.**

Apis velocem calorem habet.

48. de musca — **Musca domestica.**

Musca frigida est — In hyeme autem musca omnino venenosa est, et homini periculosa, nisi quem Deus custodit.

49. de Mugga — **Culex.**

50. de cicada — **Gryllus.**

51. de humbelim — **Apis terrestris.**

Humbelim frigida est. Homo autem, cujus oculi caligant, vesiculam quae inter caput et ventrem in humbelim est, tollat, et liquorem qui in ea est, oculis suis modice inmittat.

52. de Wespa — **Vespa.**

53. de Glimo — **Lampyris noctiluca.**

54. de megilana — ?

Megilana frigida est. Si autem scrofulae in homine sunt, ille vermiculum hunc tollat, et venenum quod in eo est exprimat, et huic minus de pulvere Megilanae herbae [1])

---

1) Physic. L. II. Cap. 157.

addat, et aut in vino, aut in aqua illud ad modicum bibat, et statim velut sagitta putredinem scrofularum invadit et eas consumit.

Pars III. Animalium terrae ad hominem comparatio.

Animalia irrationabilia quae super terram discurrunt et in terra habitant, [1]) de vento qui terram humectat et vegetat, spiramen habent, et cogitationes et praemeditationes, quas homo perficit, designant. Et sicut opera cogitationes subsequuntur, sic etiam ea [2]) bona voluntas et recta desideria praecedunt, ea fabricator mundi in coelestibus perficit. Sed quaedam, ut leo et sibi similia, voluntatem hominis, quae jam opus proferre vult, ostendunt; quaedam autem, ut panthera [3]) et ei similia, ardens desiderium, quod jam in incipiente opere est, designant; quaedam vero, ut silvestres bestiae, plenitudinem effluentiae, quam homo in possibilitate sua habet, utilia et inutilia opera perficere demonstrant; quaedam quoque ut mansueta animalia, mansuetudinem hominis, quam per vias rectas habet, significant. Et ideo rationalitas hominis [4]) invenit, quod multotiens ad hominem dicit, tu es animal illud, velut illud, quoniam animalia quaedam naturae hominis aliqua interdum similia in se fere habent. Sed animalia, quae alia devorant et lacerant, et quae pravis cibariis nutriuntur et generando faetus multiplicant, ut lupus et canis, velut inutiles herbae ad comedendum, naturae hominis contraria sunt; quia homo sic non facit. Pecora autem, quae mundis escis, ut feno et simili pastu nutriuntur, et

1) Cf. Bartholom. Anglic. propr. rer. XVIII. 1.
2) eam. edit.
3) Cf. L. diviner. oper. vis. III, et praefat. L. I. Physic.
4) Cf. Epist. ad Eberhard. episcop. Bamberg. pag. 40.

12. de cervo — Cervus elaphus.

Cervus repentinum calorem in se habet et aliquantum temperatum, et mansuetus est, et munda pabula comedit, et caro ejus sanis et infirmis hominibus ad comedendum bona est.

13. de roech — Cervus capreolus.

Roech frigida est et mansuetudinem habet et mundam naturam et montes libenter ascendit et bonis ac sanis pascuis utitur — Sed et homo de pelle ejus cingulum et chirothecas et etiam velut camisiam faciat, et fortis pestis interim eum non laedet.

14. de Steinbock — Capra ibex.

Steinbock frigidus est et tortuosus in moribus suis, et caro ejus livosa est. De pelle autem ejus homo cingulum et sotulares paret et induat.

15. de wisant — Bos Bison. 1)

Wisant calidus est et fere mores cervi habet, et caro ejus sana est.

16. de bove — Bos taurus.

17. de ove — Capra ovis.

Ovis, sive aries, sive agna sit, frigida est, sed tamen bove calidior et etiam humida et simplex est et acerbitatem non habet, et caro ejus sanis et infirmis ad comedendum

1) Ort. sanit. de an. 18. Cf. Hartknoch's altes und neues Preussen. I, 13. Nicol. Hussoviani carmen de Bisonte. Cracov. 1623. 8. Blas. Merrem de animal. scythic. apud Plinium exercit. Gotting. 1771. 4. Plin. H. N. VIII. 15. Caesar bell. gall. VI. 28. Calpurn. eclog. VII. 60.

bona est. — Sed et pelles ovium ad indumenta bona sunt, quia nec superbiam, nec libidinem, nec pestem ei inferunt, unde et Deus Adae indumentum de pellibus ovium dedit.

18. de hirco — Capra hircus.

Hircus repentinum calorem habet et instabiles mores, et caro ejus infirmis et sanis ad comedendum bona est.

19. de porco — Sus scrofa et aper.

Porcus ardentem naturam in se habet et livosus est, quoniam nullum frigus ipsum purgat; unde caro ejus nec sanis nec infirmis ad comedendum bona est. — Silvester porcus eandem naturam habet quam et domesticus, excepto quod mundior est domestico.

20. de lepore — Lepus timidus.

Lepus calidus est, et caro ejus tam sanis quam infirmis ad comedendum bona non est.

21. de lupo — Canis lupus.

Lupus valde calidus est, et aliquantum nequitiae aëreorum spirituum assimilatur.

22. de cane — Canis familiaris.

Canis valde calidus est et quiddam naturale sibi in moribus hominum habet, et odium et iram et perfidiam in homine cognoscit, et in quo perfidiam scit, in ipsum saepe frendet, et si odium et iram in domo esse novit, in ipsa in semetipso silenter submurmurat. Et si etiam aliquis homo consilia perfidiae in se habet, canis in eum frendet, quamvis eum diligat. Quod si etiam aliquis in domo est qui voluntatem furandi habet, in eum submurmurat et frendet, et alios motus ad ipsum quam ad alium habet et

post illum vadit et naribus odorem ejus tentat. Et hoc modo fur notari potest.

23 de vulpe — Canis vulpes.

Vulpis valde calida est, et caro ejus homini ad comedendum non valet.

24. de bibero — Castor Fiber.

Biber valde calidus est et caro ejus sanis et infirmis ad esum bona est et hominem confortat eique bonam digestionem facit.

25 .de lince — Felis lynx.

Linx calidus est et gloriosus apparere desiderat et voluntatem suam sequitur et natura sua fortis est, ideo oculi ejus lucent velut stella quae noctem illuminat. — De urina autem animalis hujus ligurius nascitur.

26. de melo — Ursus taxus. 1)

Melus calidus est et tacitam naturam habet, sed tamen aliquantum nequam est — homo caligas ex pelle dachsis faciat et eas induat et ei sanum est

27. de ericio — Erinaceus europaeus.

Ericius, scilicet schweinygel frigidus est et immundae naturae, sed immunditia quae in carne ejus esse deberet, in spinas transit et ideo porco mundior est.

28. de ericio canis — Erinacei europaei varietas. 2)

Ericius qui canem imitatur, frigidus est.

---

2) Ort. sanit. de an. 96. helo, helus. edit.

1) De hoc erinaceorum discrimine conf. C. Gesneri Thierbuch 94. Barthol. Angl. XVIII. 60.

29. de spiriolo — **Sciurus vulgaris.**

Spiriolus calidus est, et pellis ejus ad vestes hominis bona est quia semper in aëre conversari solet.

30. de Hamestra — **Marmota Cricetus.** [1])

31. de martaro — **Mustela Martes.** [2])

Martarus silvestris calidus est et mansuetam naturam habet et pellis ejus bona est ad vestes hominum.

32. de Wazemart — **Mustela putorius et furo.**

33. de talpa — **Talpa europaea.**

Talpa frigida est et in terra quae bona et sana est manet.

34. de mustela — **Mustela vulgaris.**

35. de mure — **Mus musculus.**

Mus calidus est et insidiantem naturam et diabolicas artes habet.

36. de formica — **Formica.**

37. de pulice — **Pulex irritans.**

Pulex calidus est et de pulvere terrae nascitur. Homo testam figuli valde calefaciat et in lectum suum disseminet, et cum pulices ariditatem ejus senserint, fugiunt.

38. de dracone [3]) — **Coluber natrix.**

Draco quendam siccum calorem in se habet.

---

1) Cf. Ort. san. de an. 42.
2) Ort. san. de an. 95.
3) Ort. sanit. de anim. 48.

39. de rubeta — **Rana bufo.**
Rubeta ex parte magnum calorem et ex parte magnam acerbitatem in se ostendit.

40. de lacerta — **Lacerta.**

41. de aranea — **Aranea.**
Aranea calida est, et est in periculo veneni sui fere ut scorpio. Et interim dum in cavernula sua jacet, ferox in insidiis tam homini quam aliis animalibus existit. Ipsa vero tela araneae utilitati non multum convenit, nisi quod super quaedam ulcera hominum, velut suavis sit, sentitur.

42. de ulwirm — **Lumbricus terrester.**
Ulwirm valde calidi sunt, et in viriditate illa nascutuur, qua gramina germinare incipiunt. — Ad descensum pluviae iidem vermiculi procedunt. [1])

43. de testudine in testa — **Helix L.**
Testudo quae in testa est et quae super terram incedit, frigida est et non multum valet. Attamen si vermis carnem alicujus comedit, testam testudinis hujus pulverizet et super illum ponat et vermis morietur. Et cum porcus infirmatur, conchas istius et modicum plus de aneto comminue et in hartz pone ut comedat et curabitur.

44. de testudine sine testa — **Limax L.** [2])
Testudo quae absque testa est, ad eadem medicamenta valet.

Rubea testudo, quae absque concha est — **Limax rufus.**

---

1) Cf. Cap. 44. Ulmwürme.
2) Bartholom. Anglic. propr. rer. XVIII. 68 et 105. Phys. IV. II.

Morborum, quorum in Physica mentio fit, index alphabeticus.

I.

II. Morbi pecoris.

Voces theotiscae in singulis Physicae capitibus obviae.

Gruz lll 37, polenta.
Gitboum llll (3) 21.?
Geswil pedum lV (3) 3 callus in planta pedis Cameli.
Hopfo lll 37, Humulus Lupulus.
Hartz lll 17 lV (3) 43, resina pini.
Hagebuchim lV (3) 13, Carpinus betulus.
Huossmuoss ll 124, Sempervivum tectorum.
Kompest ll 51, Coagulum lactis ovilli.
Luterdranck ll 81.?
Merlinsen ll 19, Lemna minor.
Orethderselbim ll 110.?
Oesch lll 37, Fraxinus excelsior.
Pefferkraut lll 20, Satureia hortensis.
Rifelbire ll 70.?
Rosseminzim III 8, Mentha silvestris.
Seuvurtz ll 28, Scrophularia nodosa.